



# Dissertatio historico-homiletica de Novi Testamenti pericopis ecclesiasticis earumque origine, indole ac pretio

<https://hdl.handle.net/1874/301651>


DISSERTATIO HISTORICO-HOMILETICA

DE

NOVI TESTAMENTI PERICOPIS ECCLESIASTICIS

ET ARUMQUE

ORIGINE, INDOLE AC PRETIO.



2.

DISSE<sup>L</sup>AT<sup>O</sup> HISTORICO-HOMILETICA  
DE  
**NOVI TESTAMENTI PERICOPIS ECCLESIASTICIS**  
EARUMQUE  
**ORIGINE, INDOLE AC PRETIO,**  
QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI  
**P E T R I H A R T I N G,**  
MED. ET ART. OBSL. DOCT. ET MATH. ET PHIL. NAT. PROF. ORD.,  
NEC NON  
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU  
ET  
NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,  
PRO GRADU DOCTORATUS  
UMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,  
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,  
PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT  
**HERMANNUS CAROLUS LAATSMAN,**

e pago Rheede,  
RUREMUNDAE IN OPPIDO SACRORUM ANTISTES,

A. D. VIII M. DECEMBRIS, ANNI MDCCCLVIII, HORA I.

---

TRAJECTI AD RHENUM,  
APUD C. VAN DER POST JUNIOREM,  
BIBLIOPOLAM.  
MDCCCLVIII.

Ex officina Typographia GIEBEN & DUMONT.

PATRI OPTIMO,

CARISSIMO

*SACRUM.*

*Πάντα δοκιμάζετε· τὸ παλόν παιέζετε.*

*Πάντα εἰσχημότως καὶ πατὰ τάξιν γυνέοθω.*

*Οὗ δὲ τὸ πνεῦμα Κυρίου, ἐκεῖ ἐλευθερία.*

*ΠΑΥΛΟΣ.*

## P R A E F A T I O.

---

*Ab iis, quae mihi maxime curae cordique sunt, meum h̄ic sit principium.*

Tibi, dilectissime Pater! has studiorum meorum primitias dicans, dulci fungor pietatis officio. In tuis enim non minus, quam in meis semper erat intimis votis, ut gradum Theologiae Doctoris mihi compararem. Multa me, ut Tibi notum est, quoniam antea jam ad exitum adduceretur hoc meum consilium impediverunt. Etsi, quum per duos jam annos a curriculo absui academico, et nuper in hac urbe ad practicam Ecclesiae vitam sum vocatus, nunc tandem mihi contigit hancce disquisitionem luci tradere, ne tamen minus ea Tibi sit accepta ex animo opto. Testis Tibi sit amoris, quo semper Te colui propter magna, quibus a teneris inde me cumulasti, beneficia. Multa, quae Tibi honori sint, dicere, etsi facile possim, non est hujus loci. Te gloriam a solo quaerere Deo scio, et alienum Te esse a gloria, quam a nobis invicem accipiamus, petenda cognitum habeo. Hoc unice Tibi dictum velim, persuasum Tibi habeas, me semper id acturum, ut tuis beneficiis tuoque amore dignum me praestem, et nunquam ardentioribus quicquam precibus a Deo me rogaturum esse, quam ut diu incolunem Te servet in meam et in eorum, quos curae tuae mandavit, salutem.

*Utinam hic quoque compellare possem Rectoris KERZMANNI nomen! Sed, cheu! nimis maturum fatum eum eripuit Athenaeo Mosa-Trajetino et Ecclesiac Romanac, cuius Abbas fuit, tolerantia insignis, et qui me magna semper comitate prosecutus est. Inter Praeceptores, quos una cum hoc viro desideratissimo habere mihi contigit, Vos praesertim gratias accipiatis debitas, Viri doctissimi UYLENBROEK et CLUMPER! Pro auxilio et amicitia, qua me adolescentem prosequi non dignati estis, bene sciatis multis me nominibus me vobis sentire obstrictum.*

*Vobis etiam gratias ago, Facultatis Litterariae Professores! pro eximia vestra institutione, qua in Rheno-Trajectina Musarum sede frui mihi licuit, et pro benevolentia, quam semper mihi demonstrasti.*

*Vos non recordari non possum, clarissimi VINKE et TEB HAAR! Per multa me Vobis debere sentio, et lectiones vestras, quibus adfui, studiis meis Theologicis quam maxime profuisse, grato animo agnoscō. Sol justitiae diu Vos illustrare perget in sacrae disciplinae emolumentum et Ecclesiae prosperitatem!*

*Te vero praesertim publice nominare pietas jubet, clarissime BOUMAN, Promotor honoratissime! Semper me tenebit memoria humanitatis, qua, licet aetate infirmus nullisque laboribus obrutus, Promotoris provinciam in Te suscepisti. Ut in toto studiorum stadio, sic et nunc benevolum Te mihi probasti adjutorem, regni coelestis rebus edoctum, similem homini patri familias, qui ex promptuorio suo et recentia deponit et vetera. Sincerā accipe, quaeeso, gratias pro singulari hoc tuae erga me benevolentiae testimonio. Deus O. M., quem colis, Te senescentem din adhuc sustentet, domi forisque tuae familiae et Theologiae Nederlandicae commodo ac decori!*

*Quum in elaborando hocce Specimine, ad historiam Homiletices Germaniae magis, quam Patriae nostrae pertinente, Germanorum expertus sim humanitatem, mihi ipsi non satisfacerem, nisi publice grato animo nomina profiterer venerandi Doctoris KÖGEL, S. S. antistitis Hagae Comitis, et clarissimorum Doctorum PALMERI et HERZOGII, Professorum*

in Academiis Tubingensi et Erlangensi. In illis Palmerus in primis praeclara mihi praestitit officia, qui libros, quibus opus esset, indicando monilisque me adjuvando effecit, ut mea haec Commentatio minoribus fortassis laboraret erratis, quam in eo, propriis adminiculis si fuisse relictus, exstisset. Accipient hi omnes velim Viri gravissimi pro magna erga me benevolentia perpetuae meae reverentiae volum!

Amici et Commititones, quos in Academia habui sincerissimos, quorum in numero Tui, nobilissime M. D. DE BRUIJN! tuaeque utilia communicandi nativae methodi me meminisse semper juvabit, valealis omnes et me possidente amicum. Etsi variis locis variis jam fungimur munericibus, maneat tamen intactum nobile nostri sodalitii foedus.

Antequam huncce nunc libellum benevolo tradam Lectori, verbo loquendum mihi est de materie, quam mihi tractandam suscepi. Quis est qui ignoret, theologicae Dissertationis argumentum quaerenti difficultatem parere immensam nostrae disciplinae magnitudinem? In Theologia Exegetica, Historica, Systematica et Practica tot sunt regiones, tot varia argumenta, e quibus possit eligi, ut ingens materiei copia incertam teneat et anicipitem optionem. Quid igitur mihi solum Ariadnes parrigat, ut ex hocce rerum labyrintho sospes evadam? Nil nisi recte perpensum illud: „Nosce te ipsum,” et „quid valeant humeri, quid ferre recusent.” Juveni studioso suum consulendum est ingenium ac studium. Rem tractandam ex ea desumat doctrinae parte, qua jam dudum, inde a studiorum initio, delectabatur, enique igitur in primis omnes sui temporis atque ingenii vires impedit.

Mutuo omnes doctrinas contineri vinculo quamquam libenter concedo, arctissima in primis necessitudine inter se invicem conjunctas esse constat diversas totius Theologiae partes; ita ut, caeteris aut plane aut fere neglectis, earum unius cognitione excellere nemini datum sit. Vel sic tamen hic quoque verum putamus illud: „non omnes possumus omnia,” hominemque adeo, singularis alicujus partis peritissimum, specioso polyhistori longe esse praferendum. Eorum autem, qui omnia atque uni-

*versa sua simul mente complectentur, rarissimus omni tempore fuit numerus, Grotiorum e. c. Vossiorum, Leibnitsiorum, Clarissiorum. Ne alios nominem, vita adhuc utentes!*

*Suum quisque vulgo habet studium, p[ro]ae aliis sibi carum. Ita mihi semper arrisit ac grata p[ro]ae cacteris fuit Homiletica. Iccirco decrevimus difficultem illum Specimini academico argumenti eligendi curam ita maxima certe pro parte levare, ut omnibus animi, si quae nobis essent, facultatibus, huic illice nostrarum deliciarum peculiari momento operam daremus.*

*Ex Historia autem Homiletices quandam tradere partem mihi maxime placebat. De ipsa enim Homiletica, sive de Eloquentiae sacrae placitis, plures jam recentissimo tempore, tam nostra in patria, quam alibi, bene meriti sunt viri docti, quorum egregiis scriptis novam quandam gravium nec cognitarum rerum messem addere, profecto est difficile. Idem autem minime valet de Homiletices Historia. Hic multa adhuc sunt peragenda. De ea enim quae scribi coepta sunt, ea non sunt absoluta opera, e. g. ESCHENBURGII ac PANIELII, vel ad certas tantum periodos perducta, sicut SCHULERI et AMMONII. Unum tantum de hoc arguento plane absolutum habemus LENTZII opus (1839), quod vero citatis et annotationibus imprimis continetur, neque igitur subtiliori doctrinae illius studio ab omni parte satisfacere videtur. Ex nostratis igitur plures Theologi huic desiderio consulere voluerunt, libris edendis, studiosorum hujus doctrinae ad usus aptioribus. Sed antequam suum perficere potuerant consilium, eorum jam obitum Ecclesia lugebat et Theologia. Quam magna hac in re praestare potuissent C. FRANSEN VAN ECK et A. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, p[ro]ae omnibus celeberrimus hic Orator, summa probabilitate nunc quoque divinare nobis licet.*

*Id autem perficere, quod illi sibi proposuerunt, consilium nobis ne quis putet unquam in mentem venisse. Longe a me tanta dementia! Exiguum taatum nostrum granum ad acervum afferre voluimus, id est,*

*ad Homileticas Historiam, Specimine nempe confecto de re, ad primas etiam ejus periodos pertinente: de Pericopis ecclesiasticis.*

*Hanc guidem rem, quippe quae ad Germaniam magis, quam ad nos, ad Pontificiam et Lutheranam Ecclesiam, quam ad Reformatam, pertineat, prorsus a nostra disquisitione esse alienam putabunt multi. Quibus vero, quum in Christianismi ac Theologiae causa nec nationes valeant nec Societates, multa responsa velimus, quae argumenti hanc optionem non tantum excusare et lectoribus probare possint, sed forsitan etiam laudis aliquid ei conciliare.*

*Jam ante hos triginta annos quaestionem proposuit pius ille L. Eelingius: Nonne Euangeli nos Ministri Ecclesiae ejus annuntiationem utiliorem reddere possimus fertilioremque? Euangeli praedicationi ut suo responderet consilio aliquid deesse, persuasio deinceps magis magisque invaluit; ipsaque illa quaestio iterum iterumque audiebatur repetita, et pluribus in scriptis, multis in Antistitum concessibus de industria est prolata; et paucos ante annos eidem singularem tribuit disquisitionem clarissimus G. Muurling in diario, cui titulus: Waarheid in Liefde 1). Quicunque autem, veri studio ducti, ad hanc quaestionem respondere conati sunt, in id quoque inquisiverunt, nonne accusator Anni Ecclesiastici observatio, et jam constituta aut denuo constituenda Textuum series, Deo favente, efficere posset, ut Euangeli annuntiatio fructus efferret generaliores et salubriores.*

*A communi igitur Ecclesiae et Theologiae commodo non ita alienum est argumentum, quod elaborandum nobis hic proposuimus. Pertinet contra, me judice, ad graviores nostri temporis quaestiones. Quamquam autem, quoad subtiliorem Historiae perscrutationem, literariam cognitionem, Critics aciem et distinctionis concinnitatem, multum lectori eruditio*

---

1) Vid. Jaargang 1849, IV. Stuk. »Wat ontbreekt er nog aan de Christusverkondiging in de Gemeente? Eene vraag aan mijne Medebroeders in de Evangeliebediening.“

*desiderandum reliquerit haecce mea dissertatio; practica tamen eam non  
plane carere utilitate, fore ut qui eam vel obiter lustraverit concedat,  
spero ac confido.*

*Argumenti tractandi hanc mihi proposui rationem:*

*Quid et quomodo antiquissima Christiana in Ecclesia sit praedicata-  
tum postquam brevibus exposui, historiae via Pericoparum Occidentali  
in Ecclesia ortum et sanctionem ostendere conabor.*

*De Pericoparum deinde agemus indole et consilio, quod ut attingerent  
constituendis illis propositum esset Christianis. Item quaedam  
addeamus exempla, e quibus majorem minoremve Pericoparum significa-  
tionem et claritatem earumque inter se nexus perspiciant Lectores.*

*Tertia denique nostrae disquisitionis parte nonnullas cum iis commu-  
nicare volumus observationes de Pericoparum pretio; — tum indicare,  
cur Helvetiae Reformatores illas abrogarint, easdem Lutherus retinuerit  
ejusque Societas; tandem, auditis et perpensis diversis, quae recentiore  
ac recentissimo tempore proditae sunt, sententiis de Pericopis abrogandis  
vel retinendis, huic nostrae disquisitioni ita finem imponere, ut quae  
in nostrae Nederlandiae Reformatorum Ecclesiae commodum ac futurum  
incrementum inde redundant monita atque indicia utilissima, breciter  
exponamus.*

*Etsi in conscribendo hoc Specimine spe ductus sum, fore ut Le-  
ctorum unus alterve ex eo fortassis utilitatis aliquid capiat, doctorum  
tamen ut lene sit de juvenili hacce opera judicium etiam atque etiam  
rego.*

Scripsi RUREMUNDAE,  
die 30 mensis Nov. 1858.

## PROLEGOMENA.

---

Antiquum Judaeorum usum suis in coetibus primos secutos esse Christianos, nil est quod miremur<sup>1)</sup>. Illorum enim usitatoriis cultus formis vel ipse etiam Dominus usus erat, qui Mosis et Prophetarum praescriptis externum suum Dei cultum nunquam non inter Israëlitas degens accommodaverat; qui haud minus patribus reicta ac tradita instituta fideliter observaverat; quatenus certe graviores eum non retinebant rationes. Ita quum solito suo more singulis sabbatis synagogam adiret, antiquum ac sacrum non respuit usum, sed, ei cedens, constitutum hujus diei recitavit *Textum* sacrum; cui aptam continuo annexuit expositionem et divinam coelestis suac sapientiac applicationem. (*Luc.* IV: 16 *seq.*)

Nec tamen de formalis religionis parte suis cum discipulis fere unquam locutus est Dominus; cui posterioris prorsus erat curae forma, quam, temporum decursu et variis fatis ac casibus, varias subiitram esse mutationes plane jam tum praevidit. Ubi potuit ac lieuit tamen, damnavit lites ac controversias, quas suo tem-

1) Reclassime monuit BERN. FERRARIUS, in opere: *de Ritu sacrarum Eccl. vet. Concionum*, Lib. I, c. 15: «Synagogae morem Christi sane Ecclesia et nascens recepit, et constanter retinuit adulta.»

pore Judaeos inter ac Samaritanos exortas vedit de cultu, in monte Gerizim, vel Hierosolymis instituendo. E longinquo jam ad remotissimum quidem, sed laetissimum simul mentem advertebat tempus futurum, quo olim omnes omnino unum adoraturi essent Patrem in spiritu et veritate. *Formam autem religionis praeципuam aliquam statuisse partem suae, quam cum discipulis communicavit doctrinae, nullo modo dici potest Dominus, qui contra prae caeteris ad verum suae doctrinae argumentum percipiendum eos instituit.* Hisce enim verbis allocutus est eos, quos primos Euangelium annuntiatus a se diuinit. »*Quum, inquit, «coram praetoribus ac regibus mea causa deducemini, quum trademini, ne anxie curetis, quomodo quidve locuturi sitis, nam hacc (ipsa) horum vobis dabitur»* (Matth. X: 18, 19). Quum ad postremum ex hisce terris a discipulis discederet, id tantum iis reliquit mandatum: »*Ite, instituite omnes populos, et baptizate eos ad nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti, et docete eos observare omnia, quae vobis preecepit»* (Matth. XXVIII: 19).

Materiale magis, quam formalem religionis partem edocti, grave suum munus suscepunt apostolicum discipuli. Quales erant, tales inter Judaeos se professi sunt ipsi Judaeos: quoad gentem, pares inter pares, horum mores nusquam temere violarunt, nec usitatiores cultus divini formas infrinxerunt. Ubique, sed sine arte, suo quisque modo, suis quisque pro animi ingenioque dotibus, quae promulgabant profitentes; nullo non tempore omnia tradentes, quae intimo pectore credebant ac sperabant, inter populum prodibant Apostoli. Nisi de iis, de nullo prorsus homine valet sententia: »*est pectus quod disertos facil.*» Quorum omnium sinc ullo dubio princeps est PAULUS, cuius facunda ac simul fervida oratio sententiis est referta gravissimis, altamque ac reconditam spirat mentem. Quantopere naturae congruens, quam efficax est illa oratio, quam Athenis habuit in Areopago (Act. XVII: 23 seqq.)! Quanta simplicitate, quam dulcibus ac lugubri voce auditorum animos commoventibus verbis audientiam sibi quaeritant ultima ejus verba valedictoria, quibus ecclesiam affatur Milesiam (Act. XX: 18 seqq.)! Quam certa, efficaci atque

evidente argumentatione ejus eminent apologiae (*Act.* XXII: 4, XXIV: 10, XXVI: 2)! Piscator, ex Galilaea qui advenerat, PETRUS, Judaicae quidem theologiae cognitione nec non dialectica argutiam Gamalielis cedens discipulo, ardens tamen ac fervidus dilectissimi sibi Christi sectator, nullo non tempore studiose atque indefessè antiqua Vet. Foed. de Messia transferre in Jesum vaticinia perrexit. Qua autem in re stupendae eloquentiae tantum adjunxit animi calorem tantamque Suadae medullam, ut multi eorum, qui ejus verba auditu hauriebant, toto pectorc ea acciperent Christique ecclesiae se addictos profiterentur (*Act.* II: 41, III: 17, X: 34). STEPHANI oratio, nefanda quidem martyris nece abrupta neque ad finem perducta, nihilominus et animi, qui historiam Israëlitarum penitus perspicit et simul divinum in ea ductum agnoscit, egregium nobis praebet documentum. Est sane hominis liberalis intrepidique, quem justum verique tenacem virum non civium ardor angit, non vultus instantis tyranni (*Act.* VII).

Quae quamquam ita sese habent, nullo tamen jure *Rhetores* vel nuncupandi vel habendi sunt illi, qui primi Christi sectatores se professi sunt; multo magis Euangelii nuntii vel potius verissimi J. C. testes appellandi sunt. Missionariorum instar, qui hodie vocantur, multas adibant urbes regionesque peregrinas, ubi, quoties par crat et facultas iis dabatur, minime fucatis verbis multitudinem allocuti sunt, quae undique confluxerat. Ita Paulus, per longinquum tempus Corinthi in domo Aquilae et Priscillae moratus (*Act.* XVIII); ita Jacobus etiam verba fecit Hierosolymis, qua in urbe ad extremum usque spiritum suam degit vitam. Proprium autem q. d. *Praedicatorum munus* posteriore demum tempore, plerisque jam defunctis Apostolis (Aº. p. C. n. 70), inter Christianos inductum est. Peculiares enim ac singulares temporum rationes, in quibus primi versati sunt Christi sectatores, nullum concionatorum desiderium movere poterant iis, qui ne minimum quidem suis in cordibus alebant consilium ab Israëlitis plane se secernendi. Regenerationem tantum efficere studabant istius populi Israëlis, qui nec ipse nunc jam, tanquam defectores novasque res molientes, eos notaverat. Inde quoque ex-

plicandum est, quod et Hierosolymitani templi et Synagogarum iis patebat aditus, quin et ipsi medio sinebantur in templo, quo una cum Apostolis saepius se conferunt, ubi sibi invicem intermixti, *auditores* inveniebantur et *oratores*. Quos inter posteriores versantur Apostoli, qui, pio ac solemni patrum more, V. T. recitant et explicant. Usus enim hic erat antiquus et sacer, quem observare cuique licuit Israëlitac, qui doctorem inter populum se ferre volebat. Praeter illos autem, qui S. scripturis legendis atque explicandis dicati erant conventus, peculiares suas Christiani convocare solebant conciones, quae in hac illâve fidelium domo agebantur, ad fraternum simul cum sacra Coena celebrandum convivium (utraque autem conjunctim vocatur  $\eta\alpha\gamma\alpha\pi\tau\eta$ ); quae, ipsis in sacris Israëlitarum coctibus, celebrare iis prorsus non concedebatur (cf. *Act.* II: 42, 46, 47). Continuo autem his in conviviis sacris de Domino collocutos esso Christianos, de Domino, qui arctissimo ac dulcissimo fraternitatis vinculo eos omnes conjunxerat, vix opus est ut moneamus. Ideo non tam Evangelii q. d. *praedicatio* ea nuncupari potest, quae seria *confabulatio* potius est dicenda.

Christi autem discipulorum, inter quos et multi jam recensabantur Ethnici, quo major exstitit numerus, eo majus etiam sensim sensimque crevit apud eos desiderium certi loci ac constituti, quem proprium suum in usum possent adhibere. Ethnicos enim eorumve proselytas, qui Jesum Messiam agnoverant, sacris suis interesse concessionibus haud facile passi sunt Judaei. Contumeliis ac vexationibus ne et ipsi a Judaeis afficerentur veriti, melius atque utilius sibi se consulere posse judicarunt qui ex Judaeis Christo nomen dederant, si in posterum infensorum Judaeorum ad concessiones se non conferrent. Quo autem alias nunc se conferrent? Ethnicorum quidem templa fortasse iis patebant, sed, more Judacorum, palam coram populo religionis placita exponendi nullam aptam iis offerebant occasionem. Quonam igitur se conferrent? Quo aptius ad sacrum cultum habendum, quam privatorum in domos, quae, repetitis sacris Coenis ibi institutis, ipsae sacrae habebantur privatae aedes? *Quomodo* autem suum ibi in-

stituerent sacrum cultum, haec minoris momenti iis erat quaestio, qui bene intelligerent nudam quandam minime hic observari atque inanem caeremoniam, sed totius hominis cum Deo spectari conjunctionem, animi praeterca lucem atque purgationem, cordis sanctificationem. Institutio igitur, precum effusio, cantus, Verbi Divini lectio ac meditatio; -- en praecipuas eorum cultus partes, quae omnes, quod formam attinet, vetere jam in Synagoga inveniebantur!

Diu jam ante Esram scholarum usu gavisi sunt Judaei, quarum institutio, quamvis multis in rebus parum praestans nullamque patientis cum posterioribus Jesu temporis scholis comparationem iisque multo inferior, magnos tamen et pro tempore miro sua actata extalit fructus. Josuae memores erant Judaei dicentis: (Jos. I: 8).

»*Ne hujus legis litera cedat a vestro ore, sed reputate eam vobis-  
cum noctu et interdiu, ut curetis faciendum secundum omnia, quae  
ci inscripta sunt; tum enim vias vestras secundas facietis et sa-  
pienter agetis.*“ — Quae igitur verba secum reputantes, suis in scholis *Legem* continuo legendam curabant Judaei, qui mox, postquam posteriores prioribus adjunixerant sacros libros, נב'יא, בות'ם, et horum praelectionem in scholarum coetuumque usum putarunt esse instituendam. Quod quidem de Hagiographis, כתובים, statuere non audemus, plurimorum hac in re secuti auctoritatem virorum doctorum, qui maxime probabiliter id negant.

Perinde autem ac S. Scripturae legendae mos Judaeorum e Synagoga in Ecclesiam transit Christianorum, ita et certorum illorum ex S. Scriptura excerptorum locorum usus legeudorum. Postquam enim ex Mosaica institutione sacerdotum ordo Leviticus institutus, saceratus et confirmatus fuerat, varias Pentateuchum divisicrunt in Sectiones eo proposito, ut illas, פְרַשׁתּוֹת, quae vocabantur, universas quotannis publicis in coetibus semel perlegere possent, singulis unoquoque Sabbato, suo quâque ordine recitatis; quo simul quantum eniue concioni tribuendum esset tempus definiebatur. Nisi jam antea, certe inde ab Esrae aetate singulis Sabbatis singulæ praelegebantur sectiones, quarum numerus erat 54. Cujusmodi lectioni plane ad finem perducendæ annus quidem intercalaris

(qui apud Judaeos 54 hebdomadum Sabbatis et 5 diebus constabat) satis sufficere potuit. Nec vero caeteris solitis annis, quorum hebdomadum numerus erat 53, totius Pentateuchi lectio, more solito instituenda, potuit confici. Quae igitur ut nihilo minus huncce per annum absolveretur, ultimo anni Sabbato duae simul legebantur Sectiones. Quarum omnium prima lectio a primo post festum Tabernaculorum Sabbato suum cepit initium. (Variis autem festis ac noviluniis certi e S. Scripturis hunc in usum singulatim excerpti loci praelegebantur, e. c. magno Sabbato, 3 Mos. VI *sqq.*).

Aptus jam hic locus videtur animadvertisendi, quandam videri intercedere necessitudinem Euangeliorum inter Pericopas, quae singulis diebus Domini, et Pentateuchi Paraschis, quae singulis Sabbatis legebantur; festivas porro Judacorum lectiones Christianis vero similiter ansam dedisse Euangeliorum locis seligendis, qui diebus festis legerentur. Dum autem apud Judaeos post sabbaticas festivae exortae sunt lectiones, inverso contra ordine apud Christianos hae post illas usurpatae sunt Pericopae.

Illis autem Paraschis Haptharae postea adjunctae sunt, quarum origo ad tempora Antiochii Epiphanis referenda videtur. Syris scilicet igne ac ferro miserrimos Judaeos vexantibus ac torquentibus, quum eorum saevissimus rex Antiochus, sub dirissimis mortis ac necis minis, publica legis Mosaicae lectione interdixisset, quin mortem iis minatus esset, apud quos talis legis liber domi offendetur, (1 Macc. I: 61) Prophetarum lectionem legis Mosaicae in locum substituerunt ita torsi Judaei. Ex omnibus libris, quos prophetis adscribentur scriptoribus, Paraschis aqualem nunc excerpserunt numerum locorum, qui, Mosaicis illis quodammodo respondentes, nomine הפטירות (rad. רתפ, *valedixit*) indicabantur, quia post lectam hanc Propheticam sectionem ipsa concilio discessit. Nec tamen postea, quum publica Thorae lectio denuo iis concessa fuit, Hapthararum usum abrogarunt, sed Pentateuchi recitationi harum annexuerunt lectionem, ita ut in posterum, haud sicut antea una, sed duplex institueretur lectio, altera sc. e Pentateucho, altera vero e libris Propheticis. Sua cuique Paraschae

nunc adjungebatur Haphthara, toto e S. Codice, sine ullo variorum librorum ordinis respectu, petita. Quam Icsu etiam Apostolorumque tempore adhuc viguisse consuetudinem, ex formula patet *vόμος καὶ προφῆται*, quae saepius in N. T. offenditur.

Quam ad normam, haud minus, quam jam supra diximus, suum ritum accommodare studuisse primos Christianos mox videbimus. Sectiones autem praelegendao, quamquam initio ex Euangelii tantum desumptae, posteriore tempore Apostolorum quoque ex scriptis petebantur.

Judacorum rituum si quis Christianos minime ignaros agnoscit, illos etiam suis in concessionibus idem, quod hos, primarium habuisse consilium, S. Scripturae ncmpe lectionem atque expositionem, sponte idem fatebitur; primos porro Christianos, quod eorum instituendi methodum attinet, maxima pro parte Judacorum inhaesisse vestigiis, mihi assentietur. Quam sententiam, postea a FEBRARIO ex multis primae Ecclesiac Christianae consuetudinibus comprobatam, jam antea autem a celebri nostrate HUGONE GROTTO propositam, magis illustravit et ursit CAMPEGICVS VITRINGA, tribus de *Synagoga Vetera* libris editis; posterioribus autem temporibus firme tenuerunt omnes, qui hac de re egerunt. MOSHEMIVM tantum excipias oportet, qui, suo in libro: *Institut. Hist. Ecol. Maj. Saec. I*, supra expositam sententiam multis, sed, ut nobis saltem videtur, parum validis refutare conatus est argumentis.

Vetus igitur Testamentum primis Christianorum in coctibus legobatur. Verosimillime praeterea eaedem, quibus Synagoga usserat, refinebantur Sectiones, imprimis quae, e Prophetis excerptae, Messiam spectabant; quibus deinde Euangelia tandemque Apostolorum Epistolae adjungebantur. Vid. Just. Mart. *Apol.* I, c. 67. Lectiones autem differebant numero, quem *Constitutionum Apostolicarum* auctor *quatuor* fuisse ponit, sed minime certe *duo* fuerunt, altera ex Euangeliis petitâ pericopâ, altera ex Epistolis; reliquae autem ex aliis N. Foed. vel ex V. T. libris hauriebantur. Canonica autem scripta et *διαλογοφερα* prae omnibus aliis ad lectionem apta et idonea habita fuisse, sponte patet. Apocrypha etiam et Antilegomena interdum lectiones praebuisse, ipsa, quae

adest, demonstrat Collectio librorum ecclesiasticorum et ἀναγνωστούμενων, talium sc. quos fontium instar adhibere unde religionis hauriretur doctrina non permittebatur, legere autem prorsus licitum fuit. Quae vero facultas Ecclesiae Christianae adempta est in Concilio Laodicensi, quod, ex eruditorum judicio annum inter 343 ac 381 habitum, in cap. 95 definiebat: Αεὶ ἀναγνώσκεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ οὐκ ἀναρόνιστα βιβλία, ἀλλὰ μόνα τὰ πατρικά τῆς παιδιᾶς καὶ παλαιᾶς διαθήσης. Cui consensit decreto Concilium Carthag. III promulgando: placuit ut praeter scripta Canonica nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Quibus vero decretis non sublata fuit licentia librorum ἀναρονίστων in Ecclesia legendorum, quos tamen divinarum Scripturarum instar, ibidem legere concessum non fuit; sicut patet ex *Passionum Martyrum* lectione ab eodem Concilio permissa<sup>1)</sup>. Quomodo porro, Canone nondum ab omnibus accepto, hisce in ecclesiis persaepe legeretur idem qui ex illis arceretur liber, facile est intellectu.

Sacri Codicis publica recitatio maximi momenti erat res, quippe quac unam primis temporibus viam aperiret Christianis, quā ad eum cognoscendum pervenire possent. Manuscriptorum enim caritas atque inopia, Christianorum praeterea cgestas atque inscitia, nullam aliam institui siverunt docendi methodum. Publicas igitur S. Codicis preelectiones quanti posteriores fecerint Patres Ecclesiae, palam fit inter alia ex Chrysostomo, qui in *Homil. X ad Johannem*, ut in coetus non tantum ad quasdam Euangelii partes audiendas convenirent adhortatur fideles (omni animadversione hoc in loco dignum videtur ejus dictum: ή εὐαγγελίων περιουσοπή) sed suae domi se jam hanc ad lectionem praeparare quemque decere admonet. Alias rursus (*Hom. LVII ad Johannem*) disertis dicit verbis: Christianos, licet domi omni privatos institutiones, publicis tamen lectionibus assidue audiendis, magnos per sex adeo

1) Conf. FERRARIUS, o. I. Lib. I, c. 19: »recitata fuit (Perieopa) proxime ante concionem Sanctorum Martyrum certamina, passiones ac triumphos, tunc scilicet, cum anniversarii eorum dies in Ecclesia celebrarentur.“ Quod probat pluribus allatis Patrum ecclesiae scriptis.

menses in S. Codicis scientia facere posse progressus. Οὐ γάρ, inquit, νῦν μεν τάντας, αὐθιον δέ ἐτέρας ἀναγνώσκομεν γραφάς· ἄλλα ἀεὶ τὰς αὐτὰς καὶ διὰ παντός;<sup>1)</sup>

Ecclesiam autem, quae S. Codicis lectionem tantam fecerit cultus partem, mox etiam (saec. III) certum huic rei singulatim destinatum sibi voluisse *Concionatorum* ordinem, ipsa ex re sponte sequitur. Doctores initio atque ipsi etiam Catechumeni pрагеgendi fungebantur munere, linguis usitatissimis Graecâ vel Latinâ utentes. Sed, multis Aegypti et Syriae in regionibus, Synagogarum ad exemplum תרגמָנִים (interpretes) ad populum dicebant. (Vid. Ferrarius, o. l., Lib. I, c. 16).

Lectione S. Scripturae peractâ, iterum morem sequens Judaeorum (*Act. XIII*: 14) antecessor (οἱ προεστῶς) ei adjunxit brevem argumenti expositionem atque applicationem; quae autem *orationes*<sup>2)</sup> non erant, sed verba potius, quae pectus moverent, et, sicut Justinus Martyr testatur, allicerent, ut audita in praxin converterentur ab auditore<sup>3)</sup>.

Diversae autem fuerunt formae, quibus haec expositio tradebatur atque applicatio. Apostolorum scripta mentionem faciunt τοῦ γλώσσας λαλεῖν (*Act. II, 1 Cor. XIV*) et τοῦ προφητεύειν (*1 Cor. XII*: 10, *XIV*: 1, 39); quae autem formulae diversas indicant dicendi rationes, quibus populum alloqui solebant in concionibus. Pleno ex pectore, summo animi ardore correpti, sui ipsorum cum oblivious, divina effundentes verba, auditoribus plane

1) Hoc loco BINGHAM Orig. Eccl., Tom. VI, p. 70 citare lubet, imprimis propter conclusionem ab eo e Chrysostomi dictis ductam:

»Chrysostomus, inquit, in Homilia quadam in Euang. Joh. quod tunc interpretabatur, monet auditores suos, ut una diērum in hebdomade domi suae Euan gelicas legant lectiones, quas sequenti die Dominica in Ecclesia lectum et expositum iri sciant. Id quod certam aliquam regulam ac ordinem supponit. Atque ita, licet perfectum lectionarium ex antiquitate non habeamus traditum, persuasi tamen sumus, lectionem scripturarum ad certam methodum et regulas, praesertim in majoribus solemnitatibus ac diebus festis ecclesiae fieri consueisse.»

2) Conf. FERRARIUS, o. l., Lib. I, c. 2.

3) Conf. JUST. MART., *Apol. ad Anton. Pium*: »Deinde ubi is, qui legit, destitut, is qui praeest admonet et hortatur, ut ea quae lecia sunt, bona imitemur.»

manifestabant concionatores, qualcm et quam salutarem pium in animum divina Euangelii veritas exsereret efficacitatem; quā simul omnis auditori adimeretur dubitatio de victoria a Christi religione de omnibus olim reportandā adversariis. Multis autem laudibus, utrius illi loquendi methodo tribuendis, vituperationis aliquid adjiciendum esse negari non potest. Animi enim commotione et phantasiae illecebris nimis subinde fascinatum concionatorem, per sphaeras communi captu excelsiores se circumferri passum esse, ita ut audita, sed parum intellecta ejus verba auditorum non semper efficacent *aedificationem*; Prophetiae porro usū minus prudenti sententias multas Euangelii menti parum congruas simplicem inter populum saepius esse dispersas, certo certius ex Pauli patet exhortationibus. Et vero, *1 Cor.* XIV: 29, Apostolus Corinthiis certissimam injicere conatus est persuasionem, talem propheticam mentis effusionem exacte dijudicandam esse. Concionator num Prophetiae γαρίσματι revera gauderet? non hoc tantum rogandum erat; sed item num forte divinas atque humanaς inter se confunderet res, prae omnibus erat percontandum. Sic dicit: »Probate omnia, bonum retinete» (*1 Thess.* V: 23). Veritatis criterium testimonio semper cerni debet: »Jesum esse Dominum» (*1 Cor.* XII: 3, *1 Joh.* IV: 2). — Mox igitur ex Ecclesia evanescunt Glossolalia et Prophetia, excipiunturque τῇ διδασκαλίᾳ, praedicandi quae erat methodus minus fulminatrix, sed aptior et utilior, quippe quae S. Scripturae, item mundi atque hominis cognitioni, firmissimo tanquam fundamento, esset superstructa. Quo facto majorem ac magis salutiferam apud simplices, quales primi erant, Christianos peperit effectum illa methodus, quae, ab Allegoriae somniis et sophisticis argutiis alienissima, ad practicam allicit atque urget vitam Christianam, atque ad Dei adorationem in spiritu et veritate<sup>1)</sup>.

Perinde ut posterioribus temporibus, ita in primā jam Christi

1) Conf. FERRARIUS, o. l., Lib. I, c. 4: »Cum unicum eorum, qui conciones habent, propositum esse debeat, optimis preceptis auditores informare, et Dei mandata assidue inculcare atque infigere, *Ductores* inde dicti sunt, atque eorum conciones *Didascalia*, seu *Doctrina*.»

Ecclesiâ variae aderant docendi methodi. Illae autem magnam oratori praebuerunt copiam libere et abunde omnia ea expecto-randi, quibus fidum ac fidele ejus pectus repletum tenebatur. Omnium autem maximum eumque meritum favorem didascalica sibi conciliavit methodus instituendi, quae Judaeorum ex Synagoga in Ecclesiam transierat Christianorum, et jam antea a Paulo quam maxime fuit commendata.

Quibusnam autem libris et Sacrae Scripturae partibus illa annectebatur explicatio didascalica atque applicatio? Veteris Foederis tantum initio institutam fuisse lectionem, cique postea Novum additum esse Testamentum, supra jam obiter monuimus. Unde tamen nullum certum duci potest argumentum, quod Novi Foederis unus alterve in concionibus legeretur liber<sup>1)</sup>. PRIMUS JUSTINUS MARTYR (*Apol.* I, c. 67) lectiones narrat et explicatio-nes, non tantum ex Prophetarum scriptis, sed praeterea ex ἀπομνημονεύμασι τῶν Ἀποστόλων die Domini esse institutas. Plura etiam apud TERTULLIANUM offenduntur loci, unde Sacrorum et V. et N. Foed. scriptorum usus in externo religionis cultu jure potest effici<sup>2)</sup>. CYPRIANI Episcopi Carthaginiensis Epistolis (in primis Epist. 33 et 34) quibus Ecclesiae rituum nobis patet origo ac confeccio, multa quoque insunt enuntiata, quae illius in usum adhibitos fuisse N. Foed. libros, dilucide indicant. ORIGENES V. et N. Foederis publice et privatim legendos esse libros, multis suis in scriptis, severe admonet et sacpissimc.

Praecipuam cultus partem biblicas esse lectiones arguunt *Constitutio-nes Apostolicæ*, quae Presbyteris Diaconisque sacrum Euan-gelia prælegendi imponunt officium. Lib. II, c. 25. »Dic Do-

1) JOH. STEPH. BURANDUS, *de Ritibus Eccl. Cathol.*, Lib. II, quidem allegat locos 1 Thess. V: 27 et Coll. IV: 16 dicens: »Hujus lectionis meminit S. Paulus? Quis vero demonstrare potest, fideles has Apostoli admonitiones fideliter observasse?

2) TERTULLIANUS, *de Anima*, c. 9: »Iam vero prout Scripturae leguntur aut Psalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiae visionibus subministrantur.»

Idem *Apologetic.*, c. 89: »Coimus ad literarum divinarum commemorationem, si quid praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit aut recognoscere.»

mini — ita jubet Lib. II, c. 59 — fiunto προφήτων ἀνάγνωσις, καὶ εὐαγγελίου ἀηδίνια. Praccipitur Lib. VII, c. 5. Μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τὸν νόμον καὶ τῶν προφητῶν τῶν τε ἐπιστολῶν ἡμῶν καὶ πραξέων, καὶ τῶν εὐαγγελίων ἀσπασάσθω ὁ χειροτονηθεὶς τὴν ἐπιλησίαν<sup>1)</sup>.

Quomodo V. Foed. usus Christianorum in coetibus valere minime desierit, quomodo porro cundem in usum N. Test. postea additi sint libri, ex paucis allatis, quae citavimus, dictis sufficienter patet.

De legendi autem atque exponendi ordine, quem secuti sunt Christiani, haec animadvertenda sunt. Donec et Domini dies et Sabbatum simul acque religiose celebrabantur, posterior Veteri, ille autem Novo Foederi legendo destinatus fuisse videtur. Postea autem, Sabbato abrogato, Foederis utriusque uno die Domini instituebatur lectio. Consuetudinis respectu Veteris Test. semper Novi lectionem solebat praeire.

Quinam, nec vero quoniam singuli ordine legi deberent libri praecepsit Canon. Episcopis tantum commissum erat decernere, utrum toti, an certas in sectiones divisi ac per partes legerentur libri Canonici et exponerentur. Quorum ad constituendas lectio-nes temporis ac loci conditio plurimum valebat. Quae hocce modo iis concessa erat facultas, eā nunquam abusi esse videntur Episcopi, quippe qui pristino jam tempore ad constitutas S. Cod. partes, praecipue diebus festis, legendas assuefecissent Ecclesiam<sup>2)</sup>. Quam opinionem commendat non tantum N. F. in τὸ εὐαγγέλιον καὶ τὸν ἀπόστολον (quatuor sc. Euangelia Canonica et Epistolas Apostolicas) — divisioni V. F. in τὸν νόμον καὶ τὸν προφῆτας congruens divisio, quae primis jam temporibus exstebat, et apud Irenaeum et Tertullianum memoratur, verosimillimeque Ignatio

1) Vid. DURANDUS, o. I., Lib. II, c. 18: »Apostolorum saeculo, inquit, Scripturas Sacras legere praeclarissimis testimoniiis comprobatur.« Inter multa testimonia allegat verba Justini Martyris, *Apolog. ad Antonin. Pium*: »Dic, qui Solis dicitur, omnes qui in oppidis vel agris morantur, unum in locum conveniunt, commentariaque Apostolorum vel Prophetarum scripta leguntur, quamdia hora patitur.«

2) Vid. BINGHAM, o. I., Tom. VI.

(saec. II initio) suam debet originem; sed etiam haec nostra opinio Lectionariis nititur magnamque imprimis accipit probabilitatem ex testimoniis Patrum.

Ad eorum testimonia relegabimus lectorem in Dissertationis nostrae prima parte, qua in aetatem, ad quam prima definitarum lectionum sive Pericoparum referenda sit origo, inquire conabimur.

## PARS PRIMA.

### DE PERICOPARUM NOVI TESTAMENTI ORIGINE.

---

Antequam ad ipsam Pericoparum originem transeamus exponendam, de vocis *περικοπή* significatione verbo moneamus. Justinus Martyr jam ea utitur voce, eandem ei substernens significationem, quam, veterum Christianorum ex usu habebant voces *τόπος*, *locus*; *περιφελαῖον*, *ἀράγγωσμα*, *lectio*; *τυῆμα*, *sectio*, *segmentum*.

Mox autem illa significabatur: *quaedam S. Cod. pars*, certum *ad consilium excerpta et per se totum aliquod efficiens*. Idem indicasse etiam censeri potest dicendi formula *η περιοχή τῆς γραφῆς* (*Act. VIII: 32*), quae partem V. F. indicat (*Jes. LIII: 7 seqq.*), quam aulico exposuit Philippus.

Ex Synagogarum usu, quo, sicut vidimus, in Haphtharoth et Paraschas Vetus Foedus erat divisum, Pericopas apud Christianos adhibitas originem duxisse, quamquam ad unum omnes consentiunt, de tempore tamen, quo primum nostrae in Ecclesiam Christianam inductae sint Pericopae, toto coclo Doctorum distant sententiac.

Sunt qui ad antiquissimam jam aetatem, ad Apostolicam sc. periodum, primum referendum esse Pericoparum ortum existiment. Quorum sententia testimonio nititur *VALAFIDI STRABONIS* (Saec. IX) qui, etsi Lectionum Euangelicarum Apostolicarumque ignorans

auctorem et commendatorem, inter primos tamen Apostolorum successores eum fuisse putat. Quod vero tradenti Valafrido Straboni fortassis obversabatur tantum pristinus, qui in Ecclesia Christiana vigebat, usus e S. Codice nonnulla praelegendi, nec vero eae, quae adhuc usu teruntur nostro tempore, Pericopae. Sententiam igitur supra memoratam, quippe quae omni careat historiae auctoritate, tutissimum erit repudiare.

MUSAEUM quendam, Leonis Magni, Massiliensis Episcopi (Aº. 441) aequalem, nostrarum Pericoparum fuisse auctorem contendunt Fabricius, Hospinianus aliqui, qui suam sententiam niti voluerunt Gennadii testimonio in libro de Viris Illustribus, quod hujusmodi est: *Musaeus hortatu S. Venerii Episcopi excerptis de Sanctis Scripturis lectiones totius anni festivis diebus aptas.* Festivis autem de diebus tantum, nec vero de solitis diebus Domini locutum esse Gennadium, me judice, sponte patet. Plurimum praeterea a nostris differunt Textus, quos Musaeus citat, et qui non ita definite, ceteris exclusis, Sacc. V dicebantur *Textus*. Contra locos non plane definitos hoc saeculo sibi cligere potuisse praedicatores, ex Patrum Ecclesiae hujus temporis Homiliis fit manifestum.

Hanc probabilis nobis videtur sententia eorum, qui GREGORIO MAGNO (Sacc. VI) primum tribuunt Pericoparum usum; *quod multae inter Gregorii Homilias* (quarum numerus est 40) *habentur, in quibus illos ipsos textus explicat, quos hodie diebus istis explicare solemne est.* De prioribus enim Auctoribus Epiphanio, Chrysostomo, Gregorio, Nazianzeno, Augustino aliisque idem poterat affirmari.

BEDAM VENERABILEM harum Pericoparum, quibus propter causas infra exponendas semper se opposuerunt, fuisse auctorem nonnulli judicarunt Reformatorum theologi. Ilorum autem plurimi, sed injuriā, Pericoparum institutarum honorem CAROLO MAGNO tribuunt, ejus jussu ab Alcuino, ejus praceptorē et Bedae discipulo, aut a Paulo Diacono eae dicuntur esse compositae. Ex Lutheranis etiam plurimi theologi, inter alios Calixtus, et inter posteriores J. G. Rosenmuller (*Beytrag zur Homiletik*) eandem tenent sententiam, atque Clericorum ex inscritia Euanglicarum et

Apostolicarum Pericoparum originem repetunt; quia S. Codicis studium ita jacehat, ut cogerentur certas ex Euangeliis et Epistolis eligere partes, quae in praedicationis usum diebus festivis ac Domini possent adhiberi. Quam eandem fere sententiam GUIL. AMESIUS (*De Conscientia* Lib. IV, c. 26) hisce explicat verbis: *Hoc institutum ex Dominicalibus tantum concionandi depravatis temporibus ecclesiac in tenebris fuit introductum, non sine superstitione quodam respectu ad solemnitates certas ab hominibus excogitatas, contra S. Scripturae regulam et praxim ecclesiae antiquae.* Quin Antichristo tandem regnante Euangelia Dominicarum ac festivarum dierum in usum ita fuisse constituta nonnulli non veriti sunt contendere! Verum qualemque veri speciem opinio pree se ferat, qua putant usus ac cognitionis S. Scripturae defectum Pericoparum induendarum fuisse causam, ita ut S. S. studium funditus jacens huic rei aptam reddidicrit actatem; ex iis ipsis tamen internum mox elicetur argumentum, unde luce clariori pateat eas istis jam temporibus fuisse selectas, ubi S. Scripturae lectio nullum dum passa erat decrementum.

Post alias, quas adhuc memoravimus, una nobis restat sententia, quam nonnulli protulerunt viri docti, et quae, sed temperata illa, nobis etiam unice videtur esse vera. HIERONYMUM scilicet primum († 410) nisi universam in Ecclesiam Latinam nonnullas certe in ejus partes has Pericopas sive induxisse sive instituisse, ex iis efficietur, quae demonstrare accurate conabimur; idque ea ratione, ut hodierni temporis Pericopae quomodo quarto jam saeculo fuerint definitae primo indicemus.

Perinde ut ubicunque agitur de alicuius rei origine, bene est distinguendum *totius* inter ac *singularum* ejus *partium* ortum, ita et *hujus illiusve* Pericopae ortum inter ac *totius* Pericoparum *collectionis*, quali adhuc utitur Ecclesia Pontificia et Lutherana, *absolutionem*, idem discriminem esse faciendum, non opus est ut fusius exponamus. Hujus enim collectionis in *absolutionem* inquisitio facilis nobis erit et in promtu, dummodo ad Saeculi XIV finem animum advertamus; quo deum tempore in festorum cyclum *Visitationis Mariae* festum est receptum, eique simul haec

dicata est Pericope, qua totus, qualis nunc adest, Pericoparum fascis, anno 1389, ab Urbano VI terminabatur. Antiquissimis autem ex temporibus ad nos pervenerunt Pericopae, quae, omnium instar, quac sensim oriuntur ac crescent, magnas volventibus seculis subierunt mutationes. Partes toti vulgo anteire actate, idque de nostro imprimis valere instituto, quisque sponte videt, qui festa in Ecclesia Christiana attendit, antiquitus minime celebrata, quibus tamen posteriorc tempore proclamat, suae etiam specialiter addictac sunt Pericopae. Quarum igitur originem ex antiquioribus temporibus saepe repetitam, manifeste nobis indicant. Cujus rei lucidum sit exemplum Epistola, priore Paschatis die lecta, 1 Cor. V: 6—8, de qua Dr. J. C. W. Augusti animadvertisit in suo opere: *Denkwürdigk. aus der Christl. Archäologie*, Tom. VI, p. 204, ante Chrysostomum eam excerptam fuisse Pericopen, eo tempore, quum jejunium Paschale q. d. frequenti adhuc gauderet usu; sicut ex homilia patet, ab cloquentissimo illo Patre Ecclesiae contra eos habita, qui Paschatis festi diebus jejunare solebant. Nullus autem post saeculum quintum offenditur talis die Paschatis jejunandi usus; quare jam ante hoc tempus constitutam fuisse hanc Pericopen credamus est necesse. Ad Arianismum praeterea oppugnandum multos Textus esse electos, inficiari nullo modo possum. Ille enim error quarto jam saeculo ita penitus totam fermentaverat Ecclesiam, ut Hieronymo (360) judice, *universus mundus esset Arianus*. Tristis ille error ut extirparetur, tales imprimis diebus Dominicis eligebantur textus, quibus Ariana hacresis aptissime posset refutari. Eandem sententiam confirmant THAMERI, scriptoris de Pericopis notissimi, verba: »Plures lectiones saeculis Arianis inter alias publice legendas ordinatas esse, sine ulla haesione adservo.”

Consuetudini denique certa quaedam S. Scripturae fragmenta in coetibus secundum certam lectionum scriiem praelegendi quam firmissime hac aetate populum adhaesisse, celeberrimi Patres Ecclesiae testantur. Ita narrat Augustinus, tumultum aliquando exortum esse suos inter auditores, quum ipse praeter Matthaei, quae legi solebat, caeterorum etiam Euangeliorum de J. C. per-

pessionibus relationes legi curavisset. Denique ne in minimis quidem a solita via sine offensione deflecti potuisse usum liturgicum quum videamus, justo audacius quid conjectisse jure dici non possumus, quum statuimus eos, qui ita amabant, quod, constituto ex ordine, ecclesiasticae agerentur lectiones (*ἀναγρώσεις*), eos, ajo, prorsus constitutos etiam sibi habuisse Textus, quibus thema contineretur praedicationis. Hanc autem nostram sententiam non inanem esse conjecturam, ex Lectionariis, quamvis leviter et obiter perspectis, sponte patebit.

*Lectionarium* (subintelligitur *volumen*) sive *Lectionarius* (sub-int. *liber*), quod Graece audit *ἀναγρωστικός, ἐναγγελιστάρια, ἐκλογάδια*, significat librum Ecclesiasticum, quo praescriptae continebantur *lectiones*, sive S. Scripturae partes in Ecclesiae usum ad legendum excerptae. Illud autem ipsum duabus propriis constabat partibus: *Euangeliario* et *Epistolario*; illud completebatur lectiones ex Euangeliis, hoc ex Epistolis electas. Utraque autem pars simul unum efficiebat, quod vocabatur, *Lectionarium* sive *Lectionarium plenarium*.

Antiquissimorum vero Lectionariorum indagare aetatem atque argumentum, non hoc consilium est, quod hoc libello conscribendo nobis proposuimus. Nec tali opus est novo labore post gravissimam hac de re disquisitionem, institutam a D<sup>r</sup>e. ERNST RANKE et traditam in ejus opere: *Das kirchliche Pericopenystem aus den ältesten Urkunden der Römischen Liturgie dargelegt und erläutert*. Berol. 1847; cuius accuratissima argumentatio nil fere reliquit dubii, quin Comitis<sup>1)</sup> auctor sit Hieronymus, idemque igitur Pericoparum, quod in Occidentali Ecclesia viget, systematis conditor.

---

1) Quae denominatio Lectionario Hieronymi data est, quoniam Clericorum erat *Vade mecum*. In ipsa Comitis praefatione legitimus: »Comes opusculum ab Ecclesiasticis appellari solet, quod duobus modis fieri arbitror, aut pro consuetudine uniusenjusque Ecclesiac, aut certa pro voluntate studiosi lectoris, qui, si fieri posset, quidquid in scripturis divinis mirabiliter fulget, quidquid in praceptis moralibus copiosum est, tanquam parvo in corpore adunatum desiderat habere paupertatis necessitate.“

Lectionaria inter Latina (quorum h̄c unice nobis ratio est habenda) primarium occupant locum *Lectionarium Gallicanum*, quod invenitur in MABILLON: Liturg. Gallic., atque a laudato RANCKE vetustissimum habetur apographum, ad textum Hieronymianum confectum; *Comes Hieronymianus* (Edit. Baluzii); *Calendarium Romanum* (Edit. Fronto, Par. 1652). Ex horum Lectionariorum comparatione, quam copiose AUGUSTI l. 1., p. 212—227 quoad dies Dominicos et festivos instituit, palam fit ea, quamvis multis locis Epistolarum in primis a se invicem differant, magna tamen pro parte, in Euangeliis potissimum, cum Pericopis convenire. Quae etiam nunc in Ecclesiis Pontificia et Lutherana usu teruntur. Nostras porro Pericopas diu jam ante Carolum Magnum in Ecclesia fuisse adhibitas simul inde appetet.

Pro vetusta autem Pericoparum aetate *Homiliaria* sive homiliarum Collectiones, ex variorum Patrum operibus collatae, evidenter, quam possint Lectionaria, nobis praebent argumentum; quod ideo majoris est momenti, quia his illa et antiquiora sunt nec tam gravi corruptionis premuntur suspicione. *Ecclesiastica* expavit *Pericope*, ubique certus in homiliis textus explicatur. Bene autem simul animadvertis, quos Homiliis superscriptos invenis titulos ac textus, saepius eos esse suspectos, et, sicut Critica demonstravit, posteriore tempore manu interpolatrice esse additos. Quod in primis de nonnullis valet Patribus Latinis, inter quos Ambrosius, Augustinus, Caesarius etc. *Adventus* prædicationes e. g. et *Trinitatis* dies Dominici ab iis saepius memorantur auctoribus, qui multis ante illa festa introducta vixerunt saeculis. Talibus igitur titulis multum tribuere auctoritatis, atque ex homiliis, quarum authenticia non omni dubio major est, quacque concinnam non continent tituli superscripti expositionem nostrā in caussa desumere argumentum, perversum esset institutum. Prædicationes enim, quae a singulari quodam graviter dicto vel a tali quodam proficiscuntur textu, quem non penitus explicant<sup>1)</sup>, nostrae argumentationi nulli possunt esse emolumento.

<sup>1)</sup> Ut nos dicimus: Motto precken.

Aptissimus hic videtur esse locus, quo paucis j. n. THAMERI attingamus opus: *Schediasma de Pericoparum origine et dignitate*; Jenae, 1734. Quod opus classicum ex eruditorum citatis ac re-censionibus tantum nobis cognitum esse quam maxime dolemus; ipsum enim opus adeundi nobis nunquam fuit opportunitas. Hic igitur auctor eandem sibi solvendam proposuit quaestionem, quo tempore nostrae aetatis ortae sint Pericopae ex Euangeliis; quarum *ordinarium usum homileticum*, sicut ex ejus disquisitione efficitur, ante Gregorii Magni aetatem (Saec. VI) jam exstitisse, prorsus nullo jure dici potest. Quin Bedae Venerabilis aetate (Saec. VIII) ordinarius iste usus homileticus nondum omnibus numeris absolutus fuerit. Quamvis Bedae homiliae magnam cum hodiernis habeant similitudinem, pluries tamen, ex sententia Thameri, magnum inter has et illas invenitur discrimen. Quin illis insunt dies Dominicae, quarum praedicationi ne textus quidem ullus substratus sit tanquam fundamentum. Ne dicamus, Bedae ad Homilias de Euangeliis provocare nos vereri, quoniam ex non-nullis saeculi VIII et X Manuscriptis, a Mabillonio inter se invicem comparatis, satis dilucide patuit, multas Bedae nomine ferri homilias, quae nunquam ab eo confectae sint; nec ullum hujus ex manu auctoris tale prodiisse opus, quale in antiquissima exstat editione, Basileae 1563; quod contra, Ecclesiasticarum in usum lectionum adhibitum, pro temporum rationibus immutatum cst et adiectum. Quibus omnibus omissis, Thameri haec dicta, me judice, id tantum nos docent, Romanam illius temporis Ecclesiam de Euangeliis quam liberrime egisse. Cujus rei verosimillima habenda est causa *ordo Romanus*, eo tempore nondum ubique introductus.

Vera autem Pericoparum origo ad multo antiquorem, ex Thameri sententia, referenda est temporis periodum. Magnum enim Euangeliariorum contigit ei invenire numerum ante Chrysostomi atque Hieronymi aetatem confectorum; unde etiam facile concedit ab Hieronymo Textuum constitutorum factam esse ordinacionem atque eorum forsitan electionem. Cujus rei ipsius Gregorii, quae extat in Prologo ad Secundinum Episcopum, explicatio lu-

culento est argumento. »*Inter sacra missarum solemnia ex his, quae diebus certis in hac Ecclesia legi ex more solent, S. Evangelii lectiones exposui.*“ Quibus ex verbis pervagatae tum consuetudini adhaesisse Gregorium, atque eo tempore certum Romae, quem in praedicando secuti sint, lectionis ordinem jam fuisse constitutum, evidentissime apparet. Quis autem reliquos ci addiderit textus, auctore Thamero, efficere est difficillimum. *Suasores* inter atque *Auctores* et *Emendatores*, eodem judice, discernendum, quando de Euangelicarum systemate Pericoparum agitur, quarum omnium *Suasores* et *Auctores* ad IV et V, *Emendatores* contra ad posteriora saecula referendi sint. Idem de Epistolis valere contendit. Sed plane aliud quid sua ex disquisitione conclusisset, Lectionaria si legendo contrivisset Thamerus. Maximam enim Textuum partem intermedio Gregorium inter ac Carolum Magnum tempore jam adfuisse, satis clare ex Frontonis efficitur Lectionario. Plurimarum praesertim Pericoparum festivarum homileticum usum jam ante saec. IV et V constitisse, antiquiora nobis praesto sunt, quibus demonstremus, documenta, Homiliae nimirum, quae, sicut supra monuimus, et *ante* et *circa* hoc tempus jam affuerunt. Quas vero non satis animadvertisit Thamerus, qui testatur: »*Omnes Patrum Homilias in certos Textus, passim in eorum operibus existentes, volitare, neque tempus nobis, neque occasio est.*“ Molestum prorsus et nobis etiam taediosum hoc esset opus! Ne autem Thameri verbis: »*hinc de istis nolo quidquam temere affirmare*“ nos quoque uti cogamur, nonnullos, ex hujus aetatis Homiliis Graecorum et Latinorum excerptos, locos mox citabimus, quibus nostra confirmetur sententia.

JUSTINUS MARTYR (A. 170) in *Apol.* I, § 87, de usu jam loquitur Christiana in Ecclesia trito, ex quo constitutam post lectionem prolixior sequi soleret expositio. Animadversione dignissima est quam addit notatio: *ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγκωρεῖ* (quoad tempus). Quibus verbis *certum quoddam*, me judice, auctor indicare voluit *tempus*, lectioni atque explicationi destinatum. Ad quarundam igitur Pericoparum usum haud dubie spectat. Alia autem minus probabilis mihi visa sententia est, quam de

formula dicendi, supra exposita, commendavit C. P. Sander<sup>1)</sup>. Ille enim dictum significare putat *quatenus tempus sinat*, quum temporum angustiae, quibus primi premerentur Christiani, ideoque clandestini eorum conventus, tales non permisissent explicaciones. Sed certos textus siquidem miserrimi illi dies legendos concederent, quidni et explicaciones, nullam videmus caussam.

ORIGENEM (Aº. 210) novimus totos nonnullos S. Cod. libros commentario complexum esse. Alienissima autem et explicitu difficultima textuum ejus nobis videretur optio, nisi ad certa argumenta tractanda certis regulis eum fuisse obstrictum, perpendamus. Quod nisi verum sit, qua tandem de caussa locorum, per quae vagati sunt Israëlitae, nominibus, hac in rerum ordinatione usus fuisse censendus est Origenes? Nec singula tantum verba, neglecto contextu, anxie amplexus esse jure potest dici. Juxta enim allegoricam interpretationem praecipuum textus explicatio occupat locum in ejus Homiliis, quae, sicut ex earum patet exordio, cum antea narratis et expositis arctissime cohaerent.

Ad Justinum Martyrem igitur et Origenem si jure provocare possumus ad probandam sententiam, mature jam de certa Textuum optione definitas constitutas fuisse regulas, majorem etiam dictis lucem affundemus, si haec animadverterimus:

ATHANASIUS, in festo Christi anni 325, notam Pericopen *Luc.* II: 1 scqq. explicat Homiliā, quam quidem spuriam esse demonstrare conati sunt, nec tamen infra *scriptorum dubiorum* classem detrudere ausi sunt viri docti. Apud BASILIUM MAGNUM Homiliam invenimus, Anno 360 in festo Epiphaniae habitam de Pericope *Matt.* II: 1—12, (de sapientibus ex Oriente); apud EPIPHANIUM Homiliam ad dominicam Palmarum de introitu Jesu in Hierosolymam (*Matt.* XXI: 1—9), et die Adseensionis Pericopen ex *Act.* I: 1—11; apud GREGORIUM NAZIANZENUM (Aº. 360) ex *Act.* II: 1—13 Homiliam in festum Pentecostes; apud CHRYSOSTOMUM (Aº. 400) in festum natalium Domini, nuper in Ecclesia

---

1) Vid. *Geschied- en Oudheidkundige Verhandeling over den oorsprong, benaming enz. der Zon- en Feestdagen*, I, pag. 47. Gron. 1787.

Antiochiae, ut ipse monet, institutum, Homiliam in *Luc.* II: 4—15, quae historiam nativitatis obiter tractat; unde luce clarus apparet videtur, illam Pericopen una cum ipso festo in Ecclesia exstisset. Quae omnia si reputamus, concludere licet, multas diuinorum Festivorum et Dominicarum Pericopas Patribus Graecis hujus temporis suam originem debuisse.

A Graecis autem ad Occidentalis Ecclesiae concionatores antiquissimos nos convertentes, offendimus inter alia apud AMBROSIUM, Episcopum Mediolanensem, Aº. 350, quinque Sermones de Natali Domini, qui omnes de Euangelica Pericope *Luc.* II: 4—20 agunt. Quatuor praeterea apud eundem Patrem invenimus Sermones de sancta Epiphania, omnes qui spectant ad duo argumenta, quae vulgo conjungebantur, ad Nuptias Canae nempe, Joh. II: 1—11, et Jesu Baptisma, *Matth.* III: 13—17. Et AUGUSTINUS (Aº. 420) in sua Exposit. in Euang. Joh. Praef. IX, p. 235, talia dicit, quae nostram quam maxime commendent sententiam. »Meminit, inquit, Sanctitas vestra, Euangelium secundum Johannem ex ordine lectionum nos solere tractare, sed nunc interposita est solemnitas sanctorum dierum, quibus certas ex Euangelio lectiones oportet in Ecclesia recitari, quae ita sunt annuae, ut aliae esse non possint.“ Maximi certe momenti nostrum in consilium nobis Augustini essent *Sermones de Tempore*, nonnullis prioribus Augustini editionibus adjuneti, ad quos Augusti quoque provocat o. l, quia Pontificiorum Pericoparum Systema pro maxima parte iis nititur. Eorum vero authentiam abunde idonea refutarunt argumenta.

Parum praesidii nostrae disquisitioni quoque offerunt LEONIS MAGNI (440—461) scripta, quippe quae Homiliae non sint, perinde atque Augustini caeterorumque Patrum. Ex nonaginta quinque, quae ab eo ad nos pervenere orationes, vix decem *Homiliae* possunt vocari; quum reliquae ad allocutiones ad Ecclesiam referendas sint, quibus nullus certus Textus, sed ipsum, quod celebraudum erat, festum argumentum praebet. De iisdem autem, quibus adhuc utuntur, Textibus Leonem etiam prædicasse magnis festis Paschatis, Epiphaniae et Pentecostes, certo certius patet ex

decem illius, quae supersunt, Homiliis. Quin omnino est animad-  
vertendum eum Dominicā Quadragesima sive *Invocavit*, de tem-  
tatione in deserto, *Matth.* IV: 1—11, non tantum suo Marte  
habuisse orationem, sed etiam Epistolam, *2 Cor.* VI: 1—10,  
verbis memorasse disertis: »Opportune auribus lectio Apostolicae  
praedicationis insonuit, dicens: Ecce, nunc tempus acceptum,  
nunc dies salutis!»

Paucis his ex exemplis abunde apparet jam diu ante Grego-  
rium hodiernas, praesertim festorum Pericopas in homileticum ac  
liturgicum usum fuisse adhibitas; quin, quoad majora festa, con-  
cludi potest eorum Pericopas ejusdem antiquitatis esse, cujus sunt  
festi dies ipsi. Multis autem differunt Dominicæ diei Pericopae,  
in primis Adventus, post Epiphaniam et Trinitatis Dominicarum.  
Quod discrimen inde explicandum est quod, festivi memoriaeque  
sanctorum dicati dies, antea quidem ignoti, postea inducebantur,  
quibus, posteriore demum tempore, multi dies Dominicæ fixam  
suam accepere significationem.

Ex quibus omnibus, de Pericoparum Systematis conditore mo-  
nitis, concludimus de proprio dicto illius *Auctore* sermonem esse  
nullo modo posse, sed de uno aliove Textuum complurium sub-  
inde usitatorum *Ordinatore* atque *Emendatore*. Qualcm habendum  
esse putamus HIERONYMUM, cui Pericoparum, quae nunc adest,  
debecamus collectionem. Quod unanimi consentiunt medii aevi Li-  
turgici. Multo verosimiliorem autem, quin fere irrefragabilem  
illam sententiam facit antiquissimum hac de re documentum, a  
quodam Abbe BERNONE REICHENAVENSI (A°. 1014) oriundum, qui  
*Prologum in Comitem* memorat, de eo profitens: »Hieronymum  
credimus Ordinatorem Lectionarii, ut ipsius testatur Prologus in  
capite ejusdem Comitis.” Quibuscum plane conveniunt quae RADUL-  
PHUS DE RIVO (1390) refert: »Hieronymus, presbyter cardinalis,  
*Epistolas et Evangelia*, ut hodie habet Ecclesia, collegit et ordi-  
navit, ut in libro qui Comes dicitur, habetur, ET IPSE AIT, SCRIB-  
BENS AD CONSTANTIUM EPISCOPUM. Et Damasus Papa, ut nunc moris  
est, legi censuit.” Cujus utrinque testimonii auctoritatem si  
quis ita in dubium vocare velit, ut consuetudinem arguat ac stu-

dium, usus Ecclesiasticos celebrium virorum nomine ornandi; ille, ajo, in contrariam partem animadvertiso, quod egregie docuit ROTHIUS<sup>1)</sup>, Hieronymi in vita aliquam esse periodum, quae *Comite* conficiendo verosimillime tribueretur, inde ab anno 382 usque ad 384, quum, quod ipse testatur, opem ei ferens, Damaso Papae adstaret: »Ante annos plurimos cum in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum, Romae urbis Episcopum.” Vid. HIERONYM. *Epist. ad Ager.* Quae omnia ut confirmemus, ad Praefationem *Comitis* provocamus, supra laudato a Ranckio editam, cuius jam titulus magnum h̄ic habet pondus, inscriptione: *Epistola S. Hieronymi missa ad Constantium. Praefatio Libri sequentis, qui Comes appellatur.* Epistola igitur ad Constantium *Comitis* est Prologus. Pericoparum ad argumentum explorandum, summi momenti nobis est illa Praefatio. Constantium enim nec vero Damasum, quem nonnulli putant, huic operi conficiendo ansam dedisse inde etiam efficitur, quod scripsit Hieronymus: »Haec omnia petitionibus tuis obediens, scribere curavi, venerabilis mihi et amantissime Frater!” Damaso autem concedendus est honor, quod *Comitis* usus Ecclesiastici fautor extiterit. Qua ex Praefatione porro cum consilium cognoscimus, quod auctori proponeretur, tum plures ante eum exstitisse lectionum collectiones, quae *Comites* etiam vocarentur. *Congregatio coelestium Lectionum*, ita dicit, difficilis quamvis sit labor, ei nihilominus, juvante Christo et rogante Constantio, manum adaptavit, eoque modo, ut certum in textibus digerendis secutus sit consilium. Peculiaris ejus operis proprietas convenientia erit lectionis cum ipso dici festo. In omnibus eundem, quem sua ipsius in Ecclesia viderat, ordinem<sup>2)</sup> se esse secutum, atque utroque ex Foedere lectiones, quas convertens authenticum consultisset textum, se elegisse testatur.

Per pauca vel potius nihil contra authentiam hujus isagogiae Epistolae afferrc potest Critica, quae contra cum iis facit, qui

1) Cf. GUIL. ROTHE: *De Pericoparum, quae in Ecclesia Danorum usurpantur origine, Dissertatio.* Hlauniae 1839.

2) Utrum anni ecclesiastici festorum ordinem, an vero Lectionum numerum, quem hoc, quam illo die maiorem esse voluerit usus Ecclesiae, h̄ic spectat vox ordo?

eius originem *Comitis* auctori tribuunt. Comitis autem, quippe qui Leonis Magni aetate jam adesset, quominus Hieronymus ha-beatur Auctor, vel Ordinator, si mavis, quid impedit?

Multis suo opere prodesse studuit Hieronymus; nec tamen Romanae Ecclesiae Lectionarium praebendi unquam ei fuit consilium. Quod autem postremo id revera factum sit, magno consensui quidem tribuendum est, quem apud Damasum sibi comparavit Comes; sed magis etiam illustri *Homiliario*, quod, Caroli Magni jussu, secundum *Comitis* textas a Paulo Diacono atque Alcuino<sup>1)</sup> collectum, magis magisque inductum est, usu crevit et ad hodiernum usque tempus usurpatum.

---

1) Licet hujus Homiliarii titulus Alcuini tantum nomen prae se ferat, *Ranckius* tamen in Diario: *Studien und Kritiken* (1855), ostendit, nos conjuncto utriusque viri labore hoc opus debere.

## PARS SECUNDA.

### DE PERICOPARUM NOVI TESTAMENTI INDOLE.

---

Pericoparum ab origine ad earum *indolis* illustrationem nobis transcundum est. Quod ut fiat, *primum* tabulam Pericoparum systematis componemus, quo facto, argumentorum, de quibus nobis est agendum, facilior evadat conspectus. *Deinde* consilium, quod componendis Pericopis propositum fuerit, considerabimus. *Postremo*, nonnullis allatis ex illa Textuum collectione exemplis, significationis Pericoparum ac contextus majorem minoremque notabimus perspicuitatem.

Tabulis igitur compositis, Pericopas h̄ic trademus, Dominicis et Festivis dicibus usitatas, quomodo et quatenus Ecclesiae Pontificiac ac Protestantium earum usus est communis. Quarum recensionem ut accuratissimam instituamus, Pontificiac Ecclesiae Pericopas hauriendas putavimus ex earum indicatione, quae ante N. Foed. versionem exstat, a CAROLO ET LEANDRO VAN ESS in lucem editam. Cujus autem versuum divisio ne lectores in collatione suspensos teneat, ubicunque a nostra diversa erat, a nobis huic conformis est facta. Praeterea v. Essii cum J. MOURENTORFII comparavimus indice, N. Foed. editioni secundum Vulgatam addito. Protestantium autem Ecclesiae Pericopas petivi ex novissimis in Germania editis libris Euangelicis atque Episto-

lariis. Nomina nonnullarum Dominicarum, nostratisbus minus cognita, nota subjecta explicabimus.

## E C C L E S I A.

## P O N T I F I C I A.

## P R O T E S T A N T I U M.

1 Dom. Adventus 1).	Luc. XXI: 25-34. Rom. XIII: 11-14.	Matth. XXI: 1-9. Rom. XIII: 11-14.
2 Dom. Adventus.	Matth. XI: 2-11. Rom. XV: 4-13.	Luc. XXI: 25-36. Rom. XV: 4-13.
3 Dom. Adventus.	Joh. I: 19-28. Phil. IV: 4-18.	Matth. XI: 2-12. 1 Cor. IV: 1-6.
4 Dom. Adventus.	Luc. III: 1-7. 1 Cor. IV: 1-6.	Joh. I: 19-28. Phil. IV: 4-8.
Dom. Nat. Dom.	Luc. II: 1-15. Tit. II: 11-24.	Luc. II: 1-15. Tit. II: 11-14.
Dom. Stephani 2), si- ve 2 Dom. Nat. Dom.	Matth. XXIII: 34-39. Act. VI: 8-10 et VII: 54-59.	Matth. XXIII: 34-39. Act. VI: 8-15 et VII: 54-59.
Dom. post Nat. Dom.	Luc. II: 33-40. Gal. IV: 1-8.	Luc. II: 33-40. Gal. IV: 1-8.
Test. Novi Ann.	Luc. II: 21. Gal. III: 23-29 et IV: 1, 2.	Luc. II: 21. Gal. III: 23-29.
Dom. post Nov. Ann.	Matth. II: 19-23. Rom. III: 19-27.	Matth. II: 13-23. Tit. III: 4-7.
Fest. Epiphaniae 3).	Mattb. II: 1-12. Jesaj. LX: 1-7.	Mattb. II: 1-12. Jesaj. LX: 1-7.
1 Dom. post Epiph.	Luc. II: 41-52. Rom. XII: 1-6.	Luc. II: 41-52. Rom. XII: 1-6.
2 Dom. post Epiph.	Joh. II: 1-12. Rom. XII: 6-16.	Joh. II: 1-11. Rom. XII: 6-16.

1) *Adventus*. Hoc nomine quatuor vocantur Dominicæ, quae Domini Natales præcedere censentur, quia in Ecclesia tanquam præparations habentur ad adventum mundi Redemptoris. Antiquissimis temporibus hæc Dominicæ non *Adventus dies*, sed *dies antz Natalem Christi* dicebantur.

2) In memoriam Stephani, primi Martyris.

3) Jam *Julianæ Apostatae* tempore (361) celebrabatur, initio in memoriam Jesu natalium, deinde ejus baptismi, donec postea Visitationi Magorum consecraretur.

## E C C L E S I A.

## P O N T I F I C I A.

## P R O T E S T A N T I U M .

3 Dom. post Epiph.	Matth. VIII: 4-13. Rom. XII: 17-21.	Matth. VIII: 1-13. Rom. XII: 17-21.
4 Dom. post Epiph.	Matth. VIII: 23, 24. Rom. XIII: 8-10.	Matth. VIII: 23-24. Rom. XIII: 8-10.
5 Dom. post Epiph.	Matth. XIII: 24-30. Coll. III: 12-17.	Matth. XIII: 24-30. Coll. III: 12-17.
6 Dom. post Epiph.	Matth. XIII: 34-35. 1 Thess. I: 2-10.	Matth. XVII: 1-9. 2 Petr. I: 16-21.
Dom. Septuagesima 1).	Matth. XX: 4-17.	Matth. XX: 4-17.
Dom. Sexagesima.	1 Cor. IX: 24-27 ac X: 1-5. Luc. VIII: 4-16.	1 Cor. IX: 24-27 ac X: 1-5. Luc. VIII: 4-16.
Dom. Quinquagesima 2)	2 Cor. XI: 19-33 ac XII: 1-10. Luc. XVIII: 34-43.	2 Cor. XI: 19-33 ac XII: 1-9. Luc. XVIII: 34-43.
s. <i>Esto mihi.</i>	1 Cor. XIII: 1-13.	1 Cor. XIII: 1-13.
1 Dom. Jejunii	Matth. IV: 1-11.	Matth. IV: 1-11.
s. <i>Invocavit</i> 3).	2 Cor. VI: 1-10.	2 Cor. VI: 1-10.
2 Dom. Jej. s.	Matth. XVII: 1-9.	Matth. XV: 21-28.
<i>Reminiscere</i> 4).	1 Thess. IV: 1-8.	1 Thess. IV: 1-8.
3 Dom. Jej. s. <i>Oculi</i> 5).	Luc. XI: 14-28.	Luc. XI: 14-28.
4 Dom. Jej. s. <i>Laetare</i> 6).	Eph. V: 1-9. Joh. VI: 1-15.	Eph. V: 1-9. Joh. VI: 1-15.
5 Dom. Jej. s. <i>Judica</i> 7).	Gal. IV: 21-31. Joh. VIII: 46-59.	Gal. IV: 21-31. Joh. VIII: 46-59.
	Hebr. IX: 11-15.	Hebr. IX: 11-15.

1) *Septuagesima, sexagesima, quinquagesima.* Hae Dominicarum denominations primum regnante Papa Gregorio Magno memorantur atque ab eo ortae creduntur. Diem septuagesimam, sexagesimam vel quinquagesimam indicant ante Paschatis festum. Inde a Dominicâ septuagesima jejuniis populi animi ad magnum Jejunium 40 dierum praeparabantur.

2) *Esto mihi.* Ita dicta a verbis quae leguntur Ps. XXXI, 3 vel LXXI: 3, quae antiquitus in Introitu ante Missam canebantur.

3) Haec vox desumpta a Ps. XC: 15.

4) *Reminiscere* des. a Ps. XXV: 6, 7.

5) *Oculi* d. a Ps. XXV: 15.

6) *Laetare* d. a Jesas LXVI: 10 vel Ps. CXXII: 1.

7) *Judica* d. a Ps. XLIII: 1.

## E C C L E S I A.

## P O N T I F I C I A.

## P R O T E S T A N T I U M .

Dom. Palmarum 1).	Matth. XXI: 4-9. Phil. II: 5-11.	Matth. XXI: 4-9. Phil. II: 5-11.
Pascha.	Marc. XVI: 1-8. 1 Cor. V: 7, 8.	Marc. XVI: 1-8. 1 Cor. V: 6-8.
2 dies Paschatis.	Luc. XXIV: 13-35. Act. X: 34-45.	Luc. XXIV: 13-35. Act. X: 34-45.
1 Dom. post Pasch.	Joh. XX: 19-31.	Joh. XX: 19-31.
s. Quasimodogeniti 2).	1 Joh. V: 4-12.	1 Joh. V: 4-10.
2 Dom. post Pasch. s.	Joh. X: 11-16.	Joh. X: 11-16.
<i>Misericordias Domini</i> 3).	1 Petr. II: 21-25.	1 Petr. II: 21-25.
3 Dom. post Pasch.	Joh. XVI: 16-23.	Joh. XVI: 16-23.
s. <i>Jubilate</i> 4).	1 Petr. II: 11-20.	1 Petr. II: 11-20.
4 Dom. post Pasch.	Joh. XVI: 5-15.	Joh. XVI: 5-15.
s. <i>Cantate</i> 5).	Jac. I: 17-21.	Jac. I: 17-21.
5 Dom. post Pasch.	Joh. XVI: 23-30.	Joh. XVI: 23-30.
s. <i>Rogate</i> 6).	Jac. I: 22-27.	Jac. I: 22-27.
Fest. Ascensionis.	Marc. XVI: 14-20. Act. I: 1-11.	Marc. XVI: 14-20. Act. I: 1-11.
6 Dom. post Pasch.	Joh. XV: 26. XVI: 4.	Joh. XV: 26. XVI: 4.
s. <i>Exaudi</i> 7).	1 Petr. VI: 7-11.	1 Petr. IV: 7-11.
Pentecoste.	Joh. XIV: 23-31. Act. II: 1-12.	Joh. XIV: 23-31. Act. II: 1-13.
2 dics Pentec.	Joh. III: 16-21. Act. X: 42-48.	Joh. III: 16-21. Act. X: 42-48.
Dom. Trinitatis 8).	Matth. XXVIII: 18-20. Rom. XI: 33-36.	Joh. III: 1-15. Rom. XI: 33-36.

1) *Dominica Palmarum* ita dicta ab abscisis arborum ramis et stratis per viam, quum Jesus Hierosolymas solemniter intraret.

2) *Quasimodogeniti* des. a 1 Petr. II: 2.

3) *Misericordias Domini* d. a Ps. LXXXIX: 1.

4) *Jubilate* d. a Ps. LXVI: 1.

5) *Cantate* d. a Ps. XCVI: 1.

6) *Rogate* d. ab Evangelio, quod eo ipso die legebatur: Joh. XVI: 24.

7) *Exaudi* d. a Ps. XXVII: 7.

8) *Dom. Trinitatis*. Quid hæc Dominica memoraretur ipsa diei donominatio

## E C C L E S I A.

## P O N T I F I C I A.

## P R O T E S T A N T I U M.

1 Dom. Trin.	Luc. VI: 36-43.	Luc. XVI: 19-31.
2 Dom. Trin.	1 Joh. IV: 9-21. Luc. XIV: 16-24.	1 Joh. IV: 16-21. Luc. XIV: 16-24.
3 Dom. Trin.	1 Joh. III: 13-18. Luc. XV: 4-10.	1 Joh. III: 13-18. Luc. XV: 4-10.
4 Dom. Trin.	1 Petr. V: 6-11. Luc. V: 1-11.	1 Petr. V: 6-11. Luc. VI: 36-42.
5 Dom. Trin.	Rom. VIII: 18-23. Matth. V: 20-26.	Rom. VIII: 18-23. Luc. V: 1-11.
6 Dom. Trin.	1 Petr. III: 8-15. Marc. VIII: 1-9.	1 Petr. III: 8-15. Matth. V: 20-25.
7 Dom. Trin.	Rom. VI: 3-14. Matth. VII: 15-23.	Rom. VI: 3-11. Marc. VIII: 1-9.
8 Dom. Trin.	Rom. VI: 19-23. Luc. XVI: 4-10.	Rom. VI: 19-23. Matth. VII: 15-23.
9 Dom. Trin.	Rom. VIII: 12-17. Luc. XIX: 41-48.	Rom. VIII: 12-17. Luc. XVI: 1-10.
10 Dom. Trin.	1 Cor. X: 6-13. Luc. XVIII: 9-14.	1 Cor. X: 6-13. Luc. XIX: 41-48.
11 Dom. Trin.	1 Cor. XII: 2-11. Marc. VII: 31-37.	1 Cor. XII: 1-11. Luc. XVIII: 9-14.
12 Dom. Trin.	1 Cor. XV: 4-10. Luc. X: 23-37.	1 Cor. XV: 1-10. Marc. VII: 31-37.
13 Dom. Trin.	2 Cor. III: 4-9. Luc. XVII: 11-19.	2 Cor. III: 4-9. Luc. X: 23-37.
14 Dom. Trin.	Gal. III: 16-22. Matth. VI: 24-34.	Gal. III: 15-22. Luc. XVII: 11-19.
15 Dom. Trin.	Gal. V: 16-24. Luc. VII: 11-17.	Gal. V: 16-24. Matth. VI: 24-34.
16 Dom. Trin.	Gal. V: 25, 26 ac VI: 1-10. Luc. XIV: 1-11. Eph. III: 13-24.	Gal. V: 25, 26 ac VI: 1-10. Luc. VII: 11-17. Eph. III: 13-24.

satis indicat. De hujus vero festi origine dissentient Theologi. Ante saeculum VIII nulla illius fit mentio. Primum occurrit Aº 834, regnante Papa Gregorio IV. Reliquae post hoc festum Dominicæ ab eo nomen duxerunt.

## E C C L E S I A.

## P O N T I F I C I A.

## P R O T E S T A N T I U M.

17 Dom. Trin.	Matth. XXII: 34-46. Eph. IV: 1-6.	Luc. XIV: 1-14. Eph. IV: 1-6.
18 Dom. Trin.	Matth. IX: 1-8. 1 Cor. I: 4-9.	Matth. XXII: 34-46. 1 Cor. I: 4-9.
19 Dom. Trin.	Matth. XXII: 1-14. Eph. IV: 23-28.	Matth. IX: 1-8. Eph. IV: 22-28.
20 Dom. Trin.	Joh. IV: 46-54. Eph. V: 15-21.	Matth. XXII: 1-14. Eph. V: 15-21.
21 Dom. Trin.	Matth. XVIII: 23-35. Eph. VI: 10-17.	Joh. IV: 46-54. Eph. VI: 10-17.
22 Dom. Trin.	Matth. XXII: 15-22. Phil. I: 3-11.	Matth. XVIII: 23-35. Phil. I: 3-11.
23 Dom. Trin.	Matth. IX: 18-26. Pbil. III: 17-21 ac IV: 1-3.	Matth. XXII: 15-22. Pbil. III: 17-21.
24 Dom. Trin.	Matth. XXIV: 15-36. Coll. I: 9-14.	Matth. IX: 18-26. Coll. I: 9-14.
25 Dom. Trin.		Matth. XXIV: 15-36.
26 Dom. Trin.		1 Thess. IV: 13-18. Matth. XXV: 31-46.
27 Dom. Trin.		2 Thess. I: 3-10. Matth. XXV: 1-13. 2 Petr. III: 3-13.

Ultima Dominica Trinitatis legendum esse Euangelium Epistolamque 24<sup>ae</sup> Dominicæ, quum plures quam 24 numerantur Dominicæ Trinitatis, jubet Missale Romanum. Quum sunt 25 Dominicæ, penultimâ legenda sunt sextae post Epiphaniam Euangelium et Epistola. Quum 26 sunt, legenda sunt 24<sup>â</sup> Dominicæ Euangelium et Epistola Dominicæ 5<sup>re</sup> post Epiphaniam, sed 6<sup>ae</sup> post Epiphaniam legantur Dominicæ 25<sup>â</sup>. Quum numerus Dominicarum est 27, legantur 24<sup>â</sup> Textus quartæ, 25<sup>â</sup> quintæ, et 26<sup>â</sup> sextæ Dominicæ post Epiphaniam.

Universæ jam veteris Ecclesiae in Lectionariis, Calendariis et Homiliis inveniuntur supra memoratae Pericopæ. Omnes autem

diebus, quibus in Ecclesia fuerunt destinatae, minime congruere, infitari haud possumus. Quod autem de Festis minus, quam de Dominicarum Textibus valet. Cujus rei causa habenda est mutata Dominicarum divisio ac denominatio, quae, praeceteris in Dominicis Adventus, Epiphaniae locum habuit, nec non in nonnullis Trinitatis. Festivorum Textuum cum ipsis festis quod desideratur convenientia, hinc passim ortum est, quia celebrandorum dierum numerus, olim ingens, postea valde decrevit, quin multis in regionibus (in Helvetia e. c. et Franco-galliae apud Reformatos) ad unum tantum diem est reductus. Saepe etiam mutua Pericoparum Festivarum commutatio locum habuit; quae autem frequentius in Epistolis, quam in Euangeliis offenditur.

Discrepantiam vero, quae nostram inter et aliarum, priorum aut posteriorum, Pericoparum seriem inveniatur, diverso singulorum locorum usui esse tribuendum, bene hic animadvertisatur. Lutheranorum e. c., quae inter nostrates floret, Ecclesia nullo modo recedere verita est a Pericoparum ordine, in Germania usitato. Quin majorem hac in re sibi concessam esse libertatem singulae etiam, cum in Germania, tum nostrâ in patriâ Ecclesiae putarunt. Qua de re lectorem ad C. P. Sander relegamus, qui o. l. talis libertatis, nostrâ in patriâ vigentis, plura affert exempla. Majorem etiam post illam (1787—90), ab auctore memorato relatam, mutationem definitorum Textuum usum hic et illic suscepisse conversionem satis constat.

Quo in Pericopis componendis se duci passi sint Christiani, nunc animadvertisimus *consilium*. Ubi ante omnia nobis est inquirendum, utrum certum quoddam consilium Textuum optione atque ordinatione attingere sibi proposuerit auctor Pericoparum? Saepius facta est haec quaestio, ad quam variis modis responderunt viri docti, pro cujusque animo in Pericopas vel propitio vel iniquo. Fuere qui sibi theoriam hac in re informarent, quam intentis viribus ubique urserunt, ex qua totum Pericoparum sistema omnibus cum ejus partibus emanasse demonstrare conati sunt. Inter quos e recentioribus referendus est Dr. FREDR. STRAUSS

in opere suo: *Das Evangelische Kirchenjahr in seinem Zusammenhange*. Berolini 1850. Alii contra, Pericopis infensi et cuiusvis praedicandi libertatis impedimenti adversarii, in Pericopis componendis nullum, ne minimum quidem, spectatum esse consilium contenderunt; quibus si quis certum indicet initium, unde aptissime omnia potuerint exordiri, casui potius, quam consilio, id tribuerunt. Straussi igitur rationi plane contrariam inierunt viam inter posteriores e. c. Clausen: *Kirchenverfassung, Lehre und Ritus des Katholizismus und Protestantismus*; Neost. ad Orlam, 1829; et notissimus Claus Harms: *Pastoral-theologie*, Chil. 1830. Quomodounque autem diversae hac de re discedant opinione, fieri non potest, quin aequus videat, neutrarum partium fautor, judex, non casu neque inconsulto suos Textas, quasi ex acervo manipulum, sumisse, sed consilio, ratione, sententiâ eos elegisse et ordinasse Pericoparum confectorem. Quae nostra sententia probatur Pericoparum in Ecclesiam inductione et in ea ad hunc usque diem conservatione. Quâ enim, per tot saeculorum decursum, adhuc incolumis manere potuisset Textuum Series, quae fortuito tantum corrasa esset, neque ullo consilio se distinxisset ac commendasset? Tam perpetuum usum ex solo Ecclesiastic studio explicare, quo sibi ipsa ubique esset vellet uniformis, nimis est absurdum! Nonne Reformatio praeterea Lutherana, quae antiquos usus atque institutiones non nimia certe reverentia coleret, — nonne illa cum tot aliis rebus Pericopas etiam amovisset, nisi in iis consilium agnovisset, quod omnino veneratione dignum illi videretur?

Quodnam autem illud fuit consilium, quo ductus Hieronymus Pericopas collexit et complevit? Duplex sane fuit et definitur: *anno Naturali et Ecclesiastico*.

*Annus naturalis* naturae vicissitudinibus suam debet divisionem distinguiturque *civili* ab anno, cuius divisio civitatis populi rebus ac commodis est accommodata. Naturalem ad annum jam Pagani adaptarant suum cultum, cuius festa cum periodis conveniebant, quibus temperiei inversiones locum habebant. Singulis anni partibus suum cuique conjungebatur festum reli-

giosum. Annum naturalem Judaci quoque, quamquam non ita stricte, consulebant in religionis caeremoniis definiendis ac constituendis. Novilunia et tria festa majora nominasse sufficiat. Eorum *Pascha* festum potest vocari vernum, *Pentecoste* aestivum, auctumno autem eorum *tabernacula* condebantur. Ethnicorum vero et Judaeorum rituum prima Christianorum in Ecclesia nullum inveniri vestigium non potuit. Judeo-Christianos, patrii usus tenacissimos, tempore apostolico Judaici quoque Calendarii festis stricte adhaesisse notum est. Qui ex Ethnicis erant Christiani, quippe qui a lege Judaica immunitatis amantissimi essent Ethnicorumque nullum cultum inter se sinere possent, festa quoque nulla omnino celbrarunt anniversaria. Postea quum cultus diversitas gentes inter ac Judaeos magis magisque evanuit, ac communioni cessit in Jesu Christo, sponte etiam constitutus est annus Ecclesiasticus.

*Anno Ecclesiastico totum significamus Cyclum sacrorum dierum s. festivorum temporum,* quae quotannis ex ordine redirent. Nullis hac de re datis a Jesu Apostolisque disertis mandatis, una cum Ethnicis Judaica quoque semina in anni Ecclesiastici constitutione commixta fuisse et coaluisse, ita ut annus naturalis plus minusve ejus fundamentum fieret, mirandum non est. Duac actates festivae; die Dominicā solitā exceptā, sub medium saeculum secundum inveniantur, Paschatis nempe et Pentecostes festa. Illud per sex dies celebrabatur in memoriam passionis ac mortis Jesu; hoc per quinquaginta dies in memoriam resurrectionis adscensionisque Domini et Spiritus S. effusionis. Posteriore autem tempore Jesu adscensio per se festive celebrabatur, quum resurrectionis Dominica, a Pentecostes tempore sejuncta et Passionis hebdomadi addita, nomen accepit Paschatis. Natalium igitur Jesu atque Epiphaniae (Baptismi Jesu) festum recipiebantur festiva inter Ecclesiae tempora, ita ut tribus majoribus festorum quasi cyclis: Natalium, Paschatis ac Pentecostes cyclo, annus continetur Ecclesiasticus.

Anni Ecclesiastici amplificationem ac dilatationem multis describere, et quomodo sanctorum adoratione et Mariac cultu ad-

auctus sit, prolixe indicare, nostri non est argumenti. Supervacaneis festis quomodo Sacrorum restorationis tempore expurgatus sit annus Ecclesiasticus, postea autem, nonnullis in regionibus, festis Messis, Mortuorum et Reformationis nec non Poenitentialibus diebus ac Supplicationibus inductis, a Protestantibus sit extensus, non magis nostrum est exponere. Nam proxime tantum ad hujus libelli argumentum pertinet, ut memoratum describamus annum Ecclesiasticum. Quam ob causam id modo additum volumus, duobus majoribus festis, antiqua jam aetate, adjunctum fuisse tempus praeparationis, Quadragesimam ante Pascha, et ante Natalium festum Adventus tempus; a quo tempore, Saeculo VI, universus incepit annus Ecclesiasticus. Primo hic tempore a *Paschatis mense*, ut nonnulli volunt, initium ceperat; vel ut alii putant, more Romano, a *Calendis Martii*; secundum alios vero a *Christi natalitiis* (VI a. Cal. Januarias). Anni Ecclesiastici a prima Dominica Adventus incipiendi usus, haereticae tribuendus est origini, a Nestorianis nimirum repetendus. Unde factum est ut non mature eum receperit Ecclesia.

» Tria haec festa (Christi Natalium, Paschatis et Pentecostes), sicut tam vere quam eleganter dixit Natorpius<sup>1)</sup>, sunt in Ecclesia Christiana ut columnae in templo. Sicuti hae lacunar fulciunt et templum formant internum, ita festa illa sunt columnae, quibus annus nititur Ecclesiasticus, quarumque ad normam Dei regitur cultus. Sicuti columnae templi efficiunt ornamenta ideoque picturae ac sculpturae fulgent operibus superbissimis, ita festa prae omnibus caeteris diebus solennium gravitate excellunt festiva, quorum profunda significatio prae reliquis anni Ecclesiastici diebus festivis superiorem illis concedit dignitatem ordinem.”

Duas in partes apte dividi potest annus Ecclesiasticus; cuius tria, supra memorata, majora festa prius efficiunt *Semestre festivum* sive *Semestre Domini*, quod, incipiens a primâ Adventus, usque ad Dominicam Trinitatis percurrit. Quod Semestre Ecclesiae clare depingit, quomodo in Christo beneficium consilium

---

1) Über den Gesang in den Kirchen der Protestantent, p. 58.

mundo aperuerit Deus (Christi natalibus); quomodo id ad redemptionem sit progressum (Paschate); quomodo denique ad summum perfectissimae magnificentiae adscenderit fastigium (Pentecoste). Alterum Semestre, *festis immune*, sive *Semestre Ecclesiae*, continetur 27 Dominicis post Trinitatis festum. Summum ejus consilium est ostendere quomodo salus in Christo manifestata, fide autem in nostrum usum conversa, initium sit et progressus ac finis vitae aeternae ac beatae et Ecclesiae universae et singulis ejus civibus. Qua igitur ratione primaria regni coelorum momenta nobis conspicienda tradit annus Ecclesiasticus, et gravissimum habet consilium, non tantum salutis humanae progressum quotannis Ecclesiae in memoriam revocandi, sed in primis etiam singulos adhortandi fideles, ut ea in salute suam sibi quaerant vitam, suaque vitâ Euangelii exprimant praecepta.

Sublimis haec omnius atque egregia sententia hand dubie Pericoparum auctori ob oculos versata est, consilium quum caperet horum Textuum colligendorum. Eadem porro, qui toto animo *jucundo Domini anno* occupatus erat, *Naturalem* etiam *annum* in mentem venisse, nemini prorsus mirum videbitur, qui similitudinem, quae inter utrumque intercedit ac necessitudinem, quodammodo certe sentiat. Quare annum Naturalem ad Ecclesiasticum explicandum hujusque significationem melius indagandam in auxilium vocatum esse, a proposito alienum minime videbitur. Hebdomadis dierum nomina a Natura regno, Planetis nempe desumpta, ab Ethniciis quum in Ecclesiam transiissent, assumpta esse mirum videri nequit, et Christianos festivis etiam et sacris diebus materialem inter ac spiritualem creationem, necessitudinem quaerere voluisse. Ad ambo enim Solstitia utriusque, et Iohannis Baptistarum et Jesu, casu et forte fortuna positam esse natalitiam, probabile non est. Quod Jesus cresceret, Johannes decresceret, utriusque natalium memoriam 24 Decemb. et 24 Jun. solstitio hyberno atque aestivo festive celebrare probabiliter plauit! Et Gratiae et Naturae in regno eadem, quoad festa majora, atque aequalis animadverti potest consimilium momentorum progressio. Quoties dcin ab hoc illo festo Christiano ad plagarum

Orientalium temperiem mentis oculus convertitur, ibi quoque harmonia saepe delectabitur tanta, quae animum commovet ac voluptate afficiat.

*Omnium autem festorum Christianorum in anno Ecclesiastico consecutio, ex naturali anni cursu systematice atque historiae viâ, explicari non potest.* Quod confirmatum jam vidimus ex opere, ceteroquin egregio, Fr. Straussii, qui, magna quidem cum sagacitate, perfectam inter se anni Ecclesiastici ac naturalis indicat convenientiam, nec non inter festa, ab Ethnicis celebrata, et festivos Christianorum dies, qui, illorum occupantes locum, infirmiorum causa erant introducti, certam videt necessitudinem; ac magno quidem cum lepore, facete saepe, analogiam profert, quae naturae temperiem inter ac Textus indolem exsistat; ubi admirabilis et nostra laude major est doctrina, qua de Ethnicorum festis, Christianorum habita ratione, agit. — Sed illius tamen opus facetis atque artificiosis conjecturis et mysticis allusionibus multo magis, quam profunda et scientifica niti argumentatione historica, inficiari nullo modo possumus. Quamquam enim cum eo plane facimus, ubi satoris parabolam in veris tempus electam esse contendit, quippe cuius argumentum hujus temporis convenienter temperiei, ideoque auctumni tempore cum praedicatione minus commode conjungi potuerit; tamen, quum tempestatis marinae textum ad mensem constitutum esse vult, quo vulgo asperae atque immanes saevire solent procellae, ab eo non dissentire non possumus. Hic enim, sicut saepius alias apud eundem auctorem, animum subit illud: *qui nimis probat, nihil probat!*

Anni porro Ecclesiastici ratione habita et tribus cum majoribus festis harmonia spectata, electas esse ab Hieronymo atque ordinatas Pericopas, ita ut trium essent Dominicanum Textus, ex profunda tantum ipsorum horum textuum perscrutatione patere potest; quae tamen, si institueretur, minime ad candem ubique conclusionem nos duceret. Universe enim, quamquam anni Ecclesiastici observationem in Pericoparum delectu valuisse videremus, non in his omnibus tamen eandem hoc vim habuisse nobis appareret. Quem igitur prolixum ac taediosum laborem ne adeamus,

obiter Textuum collectionem percurrentes, nonnullas tantum Dominicas paulo accuratius spectabimus; quam per operam Pericoparum significationem nexumque magis minusve clarum nostro ductu animadvertisi benevolo lectori sit facultas.

Cum significatione Pericoparum earum nexum quoque memoraturos, decet nos non tantum, antea animadvertere in catenationem inter variarum Dominicarum textus, sed etiam in mutuam necessitudinem, inter singularum Dominicarum Euangelium Epistolamque quae exstat, inquirendum nobis est. Quac autem nonnulli putarunt huic nexni inesse vitiosa postea judicabimus.

Ab *Adventu* annus Ecclesiasticus apud Christianos inde a Saec. VI universe capit initium. Poenitentia ac jejunii per insecuras hebdomades praeparabantur fideles ad Nativitatis festum celebrandum. Quale autem consilium Adventu celebrando spectaverit antiqua Ecclesia, certo definiri nequit. Ex antiquissimis, quae ex hoc tempore nobis supersunt, historiae monumentis patet hoc festum tum ad Reditum Domini in judicium, tum ad Christi Nativitatem fuisse praeparationem, sive omnium eorum recordationem, quae Christi incarnationem praecedunt et sequuntur. Cognita, nec sufficiens tamen, est definitio, quae statuit Adventum festum fuisse consecratum Christi adventui 1°. in carnem, 2°. nostra in corda, et 3°. suam in magnificentiam. In *Sacramentariis* (veteribus libris Ecclesiasticis) tale dicitur tempus, quo Deus nos redemptionis nostrae annua exspectatione laetificat, et quo precata est Ecclesia: *ut qui de primo Adventu Unigeniti Tui secundum carnem lactantur, in secundo, cum venerit in maiestate sua, premium aeternae vitae percipient.* Triplicem in S. Bernardi Sermonibus Adventus offendimus contemplationem, sc. Christi adventus 1°. in carne, 2°. in spiritu, 3°. ad judicium; quadruplicem apud Lutherum: 1°. in carne, 2°. ad passionem, 3°. in spiritu, et 4°. ad judicium. Quinque antiquissimo tempore numerabantur Dominicæ Adventus, quarum prima Adventus censebatur esse praeparatio. Multorum vero studio, tam longam sibi Nativitatis cupientium praparationem, 40 sc. dierum, quinta Domini-

nica suam debet originem; quac vero posteriore tempore est abolita. Quatuor Pontifica et Lutherana Ecclesia retinuerunt Dominicas Adventus; quem Graeci longiorem faciunt et d. XVIII a Cal. Decembris jam inchoant.

*Prima Adventus* in Ecclesia Lutherana praedicant de Matth. XXI: 1—9 et Rom. XIII: 4—14: »Scimus occasionem temporis, horam esse ex somno expurgandi.“ Quaenam primae Ecclesiastici anni Dominicae pulchriora unquam eligi potuerant verba? Domini introitus in Hierosolymas dum nobis traditur in Euangelio; Epistola quae via incunda sit nos docet, ut Dominum reversurum quiete possimus exspectare: »Nobis deponenda sunt opera tenebrarum atque induenda arma lucis.“ Perinde ac turbae suas vestes expanderunt per viam et »Hosanna, filio Davidis“ acclamabant, ita nostra corda purgare nos decet et jubilare, Christum accepturos in nostrum animum. Quam autem purgationem abstinentia et jejuniis simul constare, aperte indicare videbatur Epistola, dicendo: »Curate carnem non ad cupiditates, sed honeste ambulemus sicut in luce.“

*Secundā Adventus* memorat Epistolae Pericope (Rom. XV: 4—13) scriptorum consolationem, id est, de consolatione agit, quam vaticinia fidelibus praebent; postquam ad concordiam adhortata est, transit ad Christi missionem, tam Judaeis quam Gentibus beneficam; Judaeis, »quibus Deus confirmaret promissa Patribus data;“ Gentibus vero »ex misericordia, sicut scriptum est: erit radix ex Jesse, quae surget gentibus imperatum; in Eam gentes suam spem reponent. Deus autem spei vos impleat omni gaudio et pace in fide, ita ut superflui sitis spe.“ Futurae igitur Christi magnificentias ut consolatione aucti obviam eamus, si nos admonet Epistola; Euangeliū hujus diei (Luc. XXI: 25—36) futuri illius diei nobis vividis coloribus depingit manifestationem: »Erunt signa in sole, luna et stellis. Tum Filium hominis videbunt venientem in nube. Quum hae res fieri incipiunt, suspicite sursum, et attollite vestra capita, quum prope sit vestra conservatio!“ Ad Christi igitur redditum ad judicium Ecclesiac socios hoc die utrumque advertit, sibi invicem arctissime cognatum,

Euangelium et Epistola, quae admonitione sua ad poenitentiam incitant et vigilantiam: »Cavete vosmet ipsi, ne vestra corda aliquando graventur comessatione et ebrietate et sollicitudinibus vitae, neve ille dies vos invadat inopinatus.”

*Adventus tertiac Pericopae* (Matth. XI: 2—12, et 1 Cor. IV: 1—6) a Patribus Ecclesiae eorum, quae praecedente Dominicā erant tractata, censebantur esse continuatio, qua iterum admoneretur Ecclesia ut laeta ac precans Domini exspectaret redditum. Ex Epistola 5<sup>um</sup> in primis explicandum elcgisse videntur *versum*: »Sic enim ne judicate ante tempus, donec Dominus advenerit, qui in lucem proferet omnia, quae in tenebris latent, et qui manifestabit consilia cordium.” Baptistae autem discipulorum in Euangelio memorata quaestio: »Esne tu ille qui venturus esset?” ex Hieronymi Gregoriique Magni interpretatione, non pro historica Nativitatis festi preparatione est habenda, sed multo magis Iesu est adventus ad inferos, ubi judicium acturus esset. Hieronymus enim inquit: »Illa quaestio significat: manda mihi, quia ad infernum descensurus sum, utrum te et *infernus debeat nuntiare*, quem nuntiavi superis.” Eadem nobis præbet explicationem Gregorius M. in Ilomilia de hocce Euangelio: »Sicut pro hominibus nasci dignatus es, an etiam pro hominibus mori digneris insinua: ut, quia nativitatis tuae praecursor exstisti, mortis etiam praecursor fiam et *venturum inferno te nuntiem*, quem jam venisse mundo annuntiavi.” Qua sane explicandi ratione Euangelium inter atque Epistolam revera cogitari posset nexus, quem vero, si, quod decet, historicam specto Euangelii significationem, nusquam hic me cornere candide profiteor.

Quod autem *quartae Adventus* attinet Pericopas (Joh. I: 19—28 et Phil. IV: 4—8), eandem utraque complectitur sententiam: »Deus est propinquus.” Quia ultima ante Nativitatem est Dominicā praeparatoria, hujus Euangelium Messiae futuram annuntiat appariationem magnumque nobis ostendit discrimen Dominum inter ejusque Prodromum; simulque Ecclesiae sucllamans: »Aperite viam Domini!” iterum eam hortatur ut poenitentia ad Christi Nativitatem celebrandam se componat.

Hac Adventus Dominicarum expositione ad finem perducta, putamus earum textibus expressam nos invenisse sententiam, quam vero similiter sibi proposuerit Ecclesia, suum in annum assumens Adventus tempus, quod tanquam eam significare licet anni Ecclesiastici periodum, ubi, historiae viâ, Ecclesiae omnia traduntur, Christi apparitionem in carne praegressa, et poenitentiâ commendata, praeparatio ei praescribitur, tum ad Nativitatis festum, tum ad Christi redditum in judicium.

*Prioris Nativitatis diei* silentio omittamus textus, quippe qui cum ipsius diei festo plane convenire, uno omnium ore judicentur. Quod vero minime tam unanimi consentiunt omnes, quoad Pericopas posterioris Nativitatis sive Stephani diei, sic vocati ex Epistola, *Act. VI: 8—15 et VII: 54—59.* Nativitatis Christi die posteriore primo de Martyre praedicatio! Quid absurdius? Post Pentecosten qui sequuntur diebus, quam Nativitatis festo, multo magis istud argumentum est accommodatum. Ita non nulli. Caedem vero infantium Bothlehemiticam per hebdomada post Nativitatem memorari fuisse solitam si animadvertissemus, eo ipso dictae Pericopae delectum in Nativitatis usum absurditatis absolvemus, eumque ut opportunum probabimus. Primum igitur ad Martyra, suo sanguine qui fidem erat confessus, attentio convertebatur Ecclesiae, quae insontium deinde infantium lugubrem audiret necem, jam ante Stephani caedem perpetratam, nulla intercedente fidei confessione. Quin egregie est illa Pericope Nativitatis festo lecta, et cum Euangelio Matth. XXIII: 34—39 plane consentanea, cum vaticinio nempe Domini de futuro Prophetarum et Doctorum martyrio, qui a Judaeis in posterum verberarentur, cruci affigerentur ac trucidarentur. Stephanus igitur est primus, in quo hoc vaticinium eventum invenit, ejusque dies supremus primi Martyris est natalis ad vitam meliorem. Quantopere autem hac sententia imbuta fuerit Ecclesia, quo die mortui essent Martyres, natalis eorum in memoriam revocandi usus satis demonstrat. Quem Ecclesiasticum usum qui bene animadvertis, absurdum nullo modo nuncupabit, quod ipso Jesu Natali summa, quam ejus adventu nacti sumus, benedictio de consulto

sit memorata. Christus enim ideo est natus in terris, ut homo nasceretur in coelis!

De Textibus *primi anni diei* (Luc. II: 21, Gal. III: 23—29) a consilio alienissimis, plures sunt conquesti. Quin Lutherus et de hoc die celebrato, et de Pericopis hoc die praedicandis, suum protulit votum minime honorificum. Ne utriusque suscipiamus defensionem, hoc tantum rogatum velimus, an non per pulchra sit sententia, qua civilis annus in Jesu nomine incipit, quod unum nobis est datum, quo beati fieri possimus; carnis circumcisio nonne spectet et adhortetur ad cordis circumcisionem, mundi ac sui ipsius abnegationem?

*Epiphaniac festo* Epistolae vicem occupat unicus, qui in anno Ecclesiastico offenditur, ex V. F. locus, Jes. LX: 1—7, quo Prophetia continetur, nulli alteri magnitudine secunda; cuius exitum Euangelium (Matth. II: 1—12) alta quasi voce profiteretur, quum ex Sapientum Orientalium historia nos docet, quomodo Christus manifestatus sit primitiis gentium, quarum plenitudo olim ad Eum colligetur.

Jesus juvenis, inter populum prodiens, primaque ab Eo facta signa continuo traduntur *Dominicis post Epiphaniam*. Epistolarum iis lectarum vel levissima contemplatio sufficit ut animadvertiscas, quo nexus cum Euangeliis cohaereant, sive Sospitatoris magnificentiam nobis proponant, sive nos admoneant Christi in Spiritu ambulare, sicut Ille ambulavit. Euangelium quidem 5<sup>ta</sup> harum Dominicarum (Matth. XIII: 24—30) parabolam nobis tradit homini, qui suo in agro bonum severit semen, cuius vero inimicus lolium noctu interscverit; Epistola autem (Col. III: 12—17) universa indicia nobis tradit fidei Christianae incrementi.

Talis etiam haud minus vera animadverti potest harmonia in sequentibus Dominicis *Septuagesima* et *Sexagesima*, quae antiquitus habebantur praeparatoriae ad magnum jejunium antepaschale, quod incipit a Dominica *Invocavit*. De Septuagesimae textibus (Matth. XX: 1—17 et 1 Cor. IX: 24—27 ac X: 1—5) jam Alcuinus testatur: »Hortatur nos ipsa die ad cursum bonae operationis Apostolus, dicens: sic currite ut comprehendatis. In Euan-

»*gelio etiam, quod ipsa die legitur, invitat nos pater familias ad operationem vineae, ut fideliter scilicet laborantes denarium remunerationis percipere mereamus.*” Dominicae autem Sexagesimae textuum ordinatio et nexus aequa evidenter patet; quum Epistola (2 Cor. XI: 19—33 et XII: 1—9) Pauli perpessione pro Domini caussa nobis tradenda, egregium ac disertum praebat exemplum multiplicis istius boni agri fructus, de quo loquitur Euangeliū (Luc. VIII: 4—16) in parabola satoris. Ex Euangeliū quum normam petere possimus, qua adjuti, Apostoli vestigiis premendis, ei pares fiamus, simul et parabola et Pauli exemplum nos incitant et alliciunt ut nostrae sterilitatis nos poeniteat idque vera indicemus poenitentia.

Justum Pericoparum esse delectum in *quinque Jejunii Dominicis*, cuique patet, historiae luce eas percontanti. Qui enim Dominicam *Invocavit*, jejunium 40 dicrum antepaschale, Christianis pugnae ac temptationis tempus, incipere poterant aptius, quam Euanglio (Matth. IV: 1—11) legendo, quo nobis Christus proponitur, ipse per 40 dies tentatus, et quo excitamus ut Illius instar omni temptationi forti resistamus animo? Praesertim quum Epistolâ (2 Cor. VI: 1—10) Christianorum in memoriam revoletur vocatio »se in labore, vigilando, jejunando in ipsis etiam oppressionibus exercendi.”

Dominicâ *Reminiscere* porro, quum Epistola (1 Thess. IV: 1—8) admonemur ambulare »non in meretricia turpitudine neque in motibus cupidinis,” sed »in sanctificatione;” nonne simul nostris ex cordibus impura abolere et constanter precando animi nostri purgationem petere docet nos exemplum feminae Cananiticae, in Euangeliū Matth. XV: 21—28?

Dominicâ *Oculi* quod legebatur Euangeliū Luc. XI: 14—28 mirari non possumus, si veteris Ecclesiae usum animadvertisimus hoc die Catechumenos praeparandi ad Baptismum accipiendum, qui ex Diaboli vinculis redemptio esse censebatur (unde Exorcismi hac in caerimoniâ usus). Tomasi verba (Aº. 1680) h̄c merentur citari. »*Ab hac Dominica 3<sup>a</sup>, inquit, incipiebant olim scrutinia Catechumenorum, sanctum Baptismum in proximo Paschate*

*competentium: hinc eo die Euangelium legitur, ubi de ejectione daemoni, de forti armato custodiente atrium suum deque fortiori superveniente et diripiente spolia ejus ac de audiendo verbo Dei et custodiendo agitur: quae omnia ad exorcismos, expulsiones Satanae caeterosque ritus in scrutiniis peragi solitos, pulchre referruntur.*" — Ad sanctam atque integrum vitam agendam incitat Epistola, Eph. V: 1—9, et ne patiamur admonet nos circumduci "inanibus verbis", quia, sicut Euangelium ipsius diei annuntiat: »Beati vocantur illi, qui Dei verbum audiunt et servant.»

Dominicae etiam *Laetare* Euangelium inter atque Epistolam nexus potest animadvertis, quamvis num adsit primo adspectu dubitari possit. Joh. VI: 1—15 tradit Jesum »*Paschate, festo Iudeorum, appropinquante*» quinque millies circiter hominibus quinque panibus duobusque piscibus assatim praebuisse ciborum, quo facto duodecim praeterca panaria reliquias potuisse impleri. Fidelium, Veteri in Foedere Dei servorum, libertatem in Christo, legis servituti oppositam, allegorica ratione nobis depingit Gal. IV: 21—31. *Hi* quidem si sunt filii Hagaris, *illi* contra Sarae nuncupantur filii atque incolae liberae Hierosolymae, quae supra est. Utriusque Textus ut nexus appareat, haec consideranda damus: Tanquam Christiani, liberae matris sumus filii, liberi a ditione philautiae sensuumque cupiditatum; — cuius privilegii hisce diebus jejunii ac praeparationis ad festum Paschatis non meminisse nobis non licet. Terrestribus autem valedicere voluptatibus eo facilius nobis contingit, quo magis ad Christum suspiciemus, qui omnes, qui ejus audiunt vocem, pane vitae ac coelestibus voluptatibus delectat ac recreat.

Dominicā *Judica* lectam fuisse Epistolam Hebr. IX: 14—15, quisque huic dici aptum judicabit ac conveniens, qui secum reputavit, hanc Pericopen introitus instar fuisse ad Jesu passionis meditationem, quae illa die incepit. Summus tanquam Sacerdos futurorum bonorum in ea nobis traditur Jesus, qui venerat ad nostram conscientiam mortuis operibus purgandam et ad Dei vivi cultum nos ducendos, quod ad consilium omnes passus est aerumnas, quas Apostolus memorat in Euangelio Joh. VIII: 46—59,

Judeorum singulatim calumnias et persecutions. Domini munus propheticum a turbis haud agnatum fuisse eumque ideo ex mediis illis recessisse in montem solitarium, dum praecedente Dominica Ecclesiae narratum erat; hodie ei proponitur Ipse tanquam Summus Sacerdos, qui Iustificationem afferat, e templo fugiens, ubi lapidibus Eum obruere tentat populus tumultuans.

Quinque igitur harum Dominicarum Euangelia aptissime Jejunio nobis videntur electa, non tantum quia historiae viâ Judeorum nobiscum communicant odium magis magisque accrescens, eoque ipso optimam ad Paschatis hebdomada praebent præparationem, sed in primis quia, cum Epistolis consentientia, ad poenitentiae vitam Deoque jucundam nos incitant.

*Palmarum Dominicâ*, initio magni Jejunii hebdomadis, ex Epistola Phil. II: 6—11 docemur, quomodo Redemptor voluntaria sua demissione admirabilem mundo manifestaverit sui abnegationem, quod summum est sanctitatis fastigium. Euangeli Matth. XXI: 1—9 Regis passuri introitum tradenti, nulla aptior potuit inveniri Epistola. Variae mobilisque plebis externis honoribus quam egregie opponuntur Dei honores, qui in præmium Ejus exinanitionis atque ad mortem crucis usque obedientiae, Eum admodum exaltavit, Eique nomen dedit omni nomine superius!

*Paschatis prioris diei* Pericopae tam apertae sunt ac dilucidæ, ut earum sententia nexusque vel prima lectione nemini non sit clarus; *posterioris diei*<sup>1)</sup> ambo Textus similiter agunt de diei ipsius argumento, de Christi resurrectione, per fidem nobis vindicanda.

Quae Dominicâ Quasimodo geniti legitur Epistola, 1 Joh. V: 4—10, Baptismum ac Christianorum regenerationem tradens, a die aliena iis tantum videri potest, qui nesciant Baptismum primâ post Pascha Dominicâ fidem confessis offerre solitam fuisse veterem Ecclesiam. Qua ex consuetudine repetendum est hujus Dominicæ nomen: *Dominica in albis*, quia tunc albis vestimentis,

---

1) Conf. dicenda ad 2<sup>m</sup> Pentecostes diem.

regenerationis signis, induiti fuerunt baptizati. Euangelio, Joh. XX: 19—31, (Sospitatoris in vitam revocati apparationem, quâ suis Apostolis Thomacque, januis clausis, se manifestaret, continent) nullum aptius eligi potuit, et anni temporis et Epistolae argumenti ratione habita. Quale enim Epistola, tale et Euangelium exponit argumentum, sicut in Christo, Filio Dei, et hujus fidei incrementum; cujus ad commendationem Resurrectionis festum in Ecclesia est sancitum. Praetermissam hoc loco nolumus occasionem animadvertisendi, fortasse consuetudinem prima postpaschali Dominicâ Catechumenos confirmandi ansam dedisse usui formulae dicendi, Joh. XX: 22 »Accipite Spiritum S.“ Cujus confirmationis usus ad nostrum usque tempus in Lutheranâ Germaniae Ecclesia aut obtinuit aut obtinet.

Qui Dominicâ *Misericordias Domini* leguntur Textus pulcherrimam habere harmoniam, cuivis sua sponte manifestam, non opus est ut moneamus. Nec vero omittere licet Euangelia Epistlesque Dominicarum *Jubilate*, *Cantate*, *Rogate*. Futurum tempus, quo suos relinqueret Dominus, ad Patrem redditurus, omnia commemorant Euangelia, Joh. XVI: 16—23, XVI: 23—30. Quibus vero verbis Ecclesia aliam, quam fecerat Dominus, attribuit significationem; aliam quoque, quam ordo chronologicus iis concederet, anni Ecclesiastici periodum. Suam mortem spectabat Jesus verbis, quae post ascensionem ex sepulchro recogitat Ecclesia. Horum autem Textuum, quamvis anachronisticam concedam collationem, non tamen improbo delectum, quippe qui hoc ipso anni Ecclesiastici tempore aptissima possit nuncupari. Proximi congressus gaudium universe annuntiat Euangelium primum; quos salutares fructus suo abitu afferret Jesus, secundum et tertium. Qui idearum progressus, me judice, tam continuus est et tam egregius, ut quod a Johannis Euangeli ordine recesserit Hieronymo facile ignoscam. Epistolae vero, 1 Petr. II: 11—20; Jac. I: 17—21 et I: 22—27, quae sibi invicem sunt cognatae, ad puram et clementem vitam incitantes, quo nexu cum Euangeliis illarum Dominicarum cohaereant non videmus.

Haec autem non valent nec de *Christi Adscensionis festi* Pe-

ricopis: Marc. XVI: 14—20; Act. I: 1—11, quippe quae ipsius festi originis tradant historiam; nec de Dominicae *Exaudi Textibus*, Joh. XV: 26 et XVI: 4, qui Jesu abitus fructus largissimos, Spiritus S. missione olim manifestandos, cum Ecclesia communicent; quum Epistola 1 Petr. IV: 7—11 simul eam admoneret, quo optimo modo Spiritus S. donum sibi posset frugiferum reddere; nec de *Pentecostes Dominicae Pericopis*, Joh. XIV: 13—31, Patris afferentibus promissionem, cuius eventum annuntiat, Act. II: 1—13, Epistola; nec de *posterioris Pentecostes diei Pericopis*, fructus Spiritus S. quae memorant: fidem Dei Filio habendam, Christi Ecclesiae fundamentum; quam fidem nobis depingunt tanquam lucem, amorem, vitam, tres eximias columnas, ex hoc fundamento adscendentibus et Deo sacrum templum formantes. Epistola, Act. X: 42—48, qua, Euangelio consentanea, fides commendatur, tanquam conditio peccatorum remissionis, continuationem simul continet Petri orationis, quae in domo Cornelii habita est, cujusque initium Paschatis posteriore die Ecclesiae erat expositum. Qua ratione utriusque majoris Festi alterum diem memoriae dicatum esse primorum Proselytarum in Ecclesiam receptorum, facete prorsus atque argute fuit indicatum.

*Dominici Trinitatis* terminatur Semestre Domini, festo Trinitati saero memoria celebrata salutaris operis Patris Filiique et Spiritus S. Quo instituto quadam quasi recapitulatione omnia aptissime in memoriam revocabantur, quae tribus majoribus festis singulatim erant tractata. Epistola, Rom. XI: 33—36, attendere jubet, quae Dei consiliis atque operibus insunt, impenetrabilia. »*O altitudo, ita exclamat Paulus*”, divitiarum et sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt Ejus judicia, quam investigabiles Ejus viae! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis Ejus fuit consiliarius? Ex Eo, et per Ipsum, et in Ipso sunt omnia; Ipsi sit gloria in aeternum! »Quod totus ita confirmaverat annus Ecclesiasticus, ut apertissime ostenderet, quomodo quod a Patre fluxerat salutis consilium, in Filio fuerit perfectum, a Spiritu S. effectum. Cujus triplicis Dei

manifestationis respectu, hominum nunc regeneratio exponitur in Euangeli Joh. III: 1—15. Nicodemus Jesum agnoscit Doctorem a Deo missum, cuius mirifica signa, divinae missionis argumenta, testatur sibi esse indubia. Christus autem eum docet, unicam ac necessariam esse conditionem, qua intrare possit regnum Dei, regenerationem, a Spiritu ortam, cuius efficacia, sicut venti cursus, sentiri quidem potest nec vero indicari, et conjuncta est cum Filii, qui e coelo descendit eoque redditurus est, opera et auxilio.

Caeteris Anni Ecclesiastici Dominicis, ab illo festo *Trinitatis* nomen gerentibus, continetur *Semestre Ecclesiae*. Gravissimorum factorum, quibus salutis via parabatur, historicam expositionem nobis prius dedit anni Semestre S. In posteriore contra, parabolis miraculisque narratis, et Apostolorum traditis admonitionibus atque adhortationibus, sanctissima fidei Christianae ac virtutis officia cum Ecclesia communicantur eique commendantur.

Quae *Semestri Domini* constituta erat, in plerisque approbavimus rationem Textuum, universe eorum convenientia cum Festorum Cyclo, et singulatim inter se invicem spectata. Sed infitiari non possumus Pericoparum, quac plerisque Dominicis post Trinitatis legendaे erant, multo minus nobis placere deletum, quippe in multis minus probabilem. Seriem epistolicarum Pericoparum, his Dominicis accurate respondentem ordini Scriptorum Apostolorum in S. Codice, substitutam, nisi conjunctam, optaverimus argumentorum ordini magis chronologico. Verum est, quod nos quoque scimus, summâ diligentia constitutum et omnibus numeris absolutum ordinem h̄ic poscere non licere, quia Festis jam progressis, multo minore, quam antea, jure hic potest exspectari ordinis concinnitas. Sed primis certe Dominicis Trinitatis quum aliquem poscimus nexum, carum inter Textus conspicuum et grande Festum, nuperrime antea celebratum, utrum hoc injuste postulatum censerri potest?

Eiusmodi nexus et consensum Euangelium inter atque Epistolam indagare cupienti parum sufficiet lectio *hujus nominis decem priorum Dominicarum*. Externum tantum h̄ic invenimus nexus,

qui aliquot verbis consonis cernitur; sicut e. g. *Dominicā Trinitatis* 1<sup>a</sup>; Luc. XVI: 19—31, de Lazaro ac divite, et 1 Joh. IV: 16—21, de amore erga Deum et proximum; — *earum 2<sup>a</sup> Dominicarum*: Luc. XV: 1—10, de *ore* amissa, et 1 Petr. V: 6—11 de adversario, Diabolo, qui circumit sicut rugiens leo. Non idem tamen de omnibus Trinitatis Dominicis valere judicium valde laetamur.

Id certe de 11<sup>a</sup> *Dominica Trinitatis* minime valet. Eam enim Dominicam jure possumus vocare *sui ipsius humiliationis*, quae et parabolae Pharisaei et Publicani in templo (Luc. XVIII: 9—14) primarium est argumentum, et mox quasi resonat modesto in testimonio, quod Paulus (1 Cor. XV: 1—10) de se ipso edit, minimum Apostolorum se professus et Apostoli nomine indignum, quia Dei Ecclesiam persecutus erat; dum tamen simul gloriatur, non suo ipsius de robore, sicut Pharisaei, sed de magna Dei gratia, cuius op̄e abundantius laboraverit, quam omnes reliqui Apostoli.

*Dominicis Trinitatis* 12<sup>a</sup> et 13<sup>a</sup> quae legi solent Pericopae, me judge, nullum fere alium inter se habent nexum, nisi quem allegorica et mystica interpretatio iis tribuere conata est. Quis enim, qui sana mente est et sanae exegeseos fautor, quis, qui vel minima distinguendi facultate praeditus est, nexus quendam invenire potest et consensum inter Jesu verbum. »Effatha» in surdi sanatione auditum (Marc. VII: 31—37) et inter Pauli vocem de facultate, a Deo sibi tributa, ut ministerio N. Foederis fungeretur (2 Cor. III: 4—9)? Quis porro tam acer est ingenio, qui consensum invenire possit inter parabolam Samaritani misericordis (Luc. X: 23—37) et inter ea, quae dicta sunt de Lege (Gal. III: 15—22)? Nisi forte cum Durando aut Ruperto, ex Pontificiis, aut cum Luthero, quin cum Melanchtone, prudente alioquin et moderato viro, in misericorde illo Samaritano ipsum videat Jesum, tanquam *gratiae* auctorem, dum legis ad vitam tribuendam impotentiam informatam putant Sacerdotis et Levitae personis, qui semimortuum Judacum practereunt, nullum ei praestiterunt auxilium. Unicus forsitan, qui inveniri

possit, nexus inter hujus Dominicae Pericopas quaerendus est, quoad Euangelium, in amore erga hostes praescripto, et, quoad Epistolam, in exemplo, legis efficacem exhibente vim condemnantem. Meliori autem judicio hic libenter cedemus.

*Dominica Trinitatis* 14<sup>a</sup> quomodo verum redemptorum a Christo signum sit supplex gratiarum actio, docemur ex relatione decem hominum purgatorum, quorum unus tantum ad Jesum redierat, suum Servatorem (Luc. XVII: 11—19). Quocum plane convenienter, quomodo, secundum spiritum ambulando nec vero cupiditatibus carnis obediendo, gratus ille animus fiat manifestus, docemur ex Epistola Gal. V: 16—24.

Quod autem *Dominicas* 15, 16 et 18 *Trinitatis* attinet; quamvis exercitato fortasse contingat Homiletæ inter earum textus, a se invicem alienissimos, tertium quoddam comparationis inventire; qui tamen Dominicarum illarum inter Pericopas certum reperiet vinculum, hic *magnus nobis erit Apollo!*

*Dominicae* 17<sup>ae</sup> *Trinitatis* contra Pericopæ arctum habent et pulcherrimum nexus. Neque enim Jesu dicta de primo loco in coena non occupando (Luc. XIV: 1—9) melius explicari possunt, quam Apostoli verbis (Eph. IV: 1—6). »Ambulate digne vocatione vestra, et feratis vos invicem modesti et mansueti et patientes in caritate.»

*Dominicæ Trinitatis* 19<sup>a</sup> ex Matth. IX: 1—8 paralytici sanatione nobis indicatur, quomodo divina Jesu potestas eum, qui peccato erat vinctus, ad liberam transferat novamque vitam. Epistola (Eph. IV: 22—28) porro hujus vitae hunc esse characterem docet ut, constanter vetere homine deponendo cupiditatibus corrupto, et novo induendo ad Deum creato, veram sectemur justitiam et sanctitatem.

*Dominicæ* 20<sup>a</sup> *Trinitatis* ambobus suis Textibus ab insipientia nos deterret studii terrestrialium, quo aeterna temere atque incaute negligantur.

*Dominicæ Trinitatis* 21<sup>a</sup> adhortantur Pericopæ fortes ut simus in fidei pugna. Euangelium, regii aulici exemplo, pugnam nobis depingit, quae miraculorum ex studio oriatur; sine quibus vero unum ob Jesu verbum credit aulicus. Est igitur pugna

spiritualis fidei hec certamen, cuius arma Epistola nobiscum communicat, Christiani militis nobis indicata armaturā. Quibus de Pericopis Melanchtonis licet uti verbis: »In his exercitiis dicitur, quid sit fides.”

*Dominicae Trinitatis* 22<sup>ae</sup> Euangelio beneficiis cumulati servi in socium inclemantium atque inhumanitatem accusante, per antithesin quasi gratum Epistola laudat Philippensium amorem in Paulum captivum.

Quae nunc sequitur, *Dominica* 23<sup>a</sup> multo minore, quam 24 *Trin.*, gaudet nexus perspicuitate. Qū enim Pharisaorum quaestio: »num licitum sit Imperatori tributum solvere?” ita explicari potest, ut admonitioni connectatur, a Paulo Philippensibus datae, contra studium vitam agendi terrestrem? Num talem se agere vitam sua quaestione forsan indicarunt Pharisaei?

Magis perspicuus, ut jam monuimus, nexus videtur, qui inter *Dominicae* 24<sup>ae</sup> Euangelium intercedit Epistolamque hujus diei. Illud medentem nobis expromit Jesu vim ac vivificantem, haec Dei in Christo amoris egregios fructus.

Tres tractandae nobis restant *Dominicae*, quae Ecclesiastici anni sunt ultimae, quarumque character, cum Epistolis tum Euangeliis, mere eschatologicus dici potest. Hierosolymae devastatio mortuorumque resurrectio in Domini reditu; — supremum iudicium justaque bonorum ac malorum merces poenaque; — exemplum quinque sapientium virginum et quinque stultarum adhortatioque ut vigilemus, exspectatione ducti reddituri Domini; — en earum argumenta! quorum pulcherrima prorsus meditatione aptissime terminatur annus Ecclesiasticus. Plane quoque convenienter cum tristi anni temperie mense Novembri ac Decembri, qui mox diem afferet brevissimum, suo loco posita est ultima Dominica, tamquam symbolum terrestris fragilitatis et approximantis aeternitatis. Sicut gravissimo: »Cognovistis tempus esse evigilandi ex somnio,” annus incepit Ecclesiasticus; ita nec minus pulchre verbis terminatur terrificis: »Et janua claudebatur; — ideoque vigilate, nam diem non cognitum habetis, neque horam, qua Filius hominis venturus est.”

Ita igitur nostram disquisitionem de *indole* Pericoparum seriei, sua antiquitate venerandae, ad finem adduximus. Quod illis componentis secuti sint antiqui consilium explicuimus, Textuumque receptorum magis minusve perspicuam, aptam idoneamque significationem ac nexus, pro nostro ingenio, clariorem reddere conati sumus. Quo facto, nunc de *pretio* eorum nonnullas animadversiones superioribus apte addere nos posse putamus; ita ut tandem videamus, quacnam gravissima inde peti possint monita et praecepta, quae nostra in Ecclesia Reformata Euangelii pro-sint annuntiationi.

## P A R S T E R T I A.

### DE PERICOPARUM PRETIO.

---

De ejusdem rei pretio varie judicare solemus. Laudatores h̄c acerrimi atque ardentes inveniuntur, qui eam admirantes, ne umbram quidem vitii in eo cernunt, quod ad sidera usque laudibus extollunt. Illic contra alii eidem rei omnem detrahunt honorem, eamque, ab aliis nimis celebratam, maximo cum contemptu respuentes, ne pili quidem aestimant, oblivionique et omnium irrisioni tradere conantur. Quorum a neutra parte plerumque stat jus, et sicut alias, ita et h̄c valet illud: »in medio veritas,” sive, »in medio tutissimus ibis.” Justum et aequum judicium de re aliqua ejusque pretio ferre hi tantum possunt, qui a praejudicatis opinionibus ac dogmatismo sunt alieni.

Quod autem in unaquaque humanae scientiae regione offendimus diversum de rerum pretio judicium, in nostrae quoque disquisitionis arguento deprehendimus. Suos et *laudatores* et *vituperatores* habuerunt Pericopae eosque habent ad nostram usque memoriam. Quibus quum *nimirum* et laudis et vituperii obtigerit, Ecclesiae et scientiae caussa acquum requirit ac verum judicium, cum de earum pretio, tum de usu, in quem hodierno etiam tempore possint adhiberi. Tali autem judicio ferendo, quod certis argumentis confirmemus, nos impares censemus; doctius

enim ingenium et exercitatio vires huic rei desiderantur. Modeste in rem inquirere nobis sufficiat; quia nobis bene consci sumus, nullum in nos alium hocce e labore redundaturum esse fructum, quam ut »in magnis voluisse” nos appareat.

Diversissime igitur, nam properandum est, judicatum est de Pericoparum pretio, in primis Reformationis tempore et postea. Quod veterum certis de Textibus Reformatorum fuerit judicium *primo* commemoremus; quibus argumentis allactus eos retinuerit Lutherus; quaenam postea proditae sint sententiae, eorum abolitionem vel suadentes vel dissuadentes. *Deinde* utrasque partes conciliandi studia animadvertemus, qualisque vim ea in hodierno Pericoparum in Germania et alibi usu habuerint, quantum ejus cognoscendi facultas nobis contigerit, trademus. Nostra in Ecclesia Reformata Nederlandica quae praedicationi ex nostra disquisitione peti possint monita utilia ac gravissima *denique* indicabimus.

Reformati, rectâ lincâ, ut ita dicam, semper sibi constantes, in via semel inita progressi, quomodo ad Pericoparum usum plane abolendum venerint, quum omni humanae traditioni bellum indicerent irrevocabile, facile est explicatu. Qui apostolici temporis ad normam cultum renovare optarunt, Pontificium suis in Ecclesiis recenter conditis servare ritum nullo modo potuerunt. Veterem inter ac novam Ecclesiam retinere harmoniam non studuerunt, sed; e contra, sicuti studium a Pontificio Ecclesia differendi saepe opiniones iis commendavit dogmaticas, toto coelo illi oppositas, sic idem studium eos impulit ad discrimen quam maximum in cacrimoniis sacris induceendum. Ab Anno Ecclesiastico prorsus abhorruit Calvinus. Nimiis enim festis fuit refertus festivisque diebus, quos omnes Reformati aboluit rigidus, ita ut Genevae Dominica tantum dies celebraretur. Libera S. Codicis disquisitione atque usu tanquam Reformationis tessera promulgata, certorum Textuum libere sumtorum explicationem praetulit et universorum S. Cod. voluminum lectionem. Clericorum praeterea solam inscitiam Pericoparum usum fecisse necessarium putavit. Quia autem S. Cod. studium apud Clericos et laicos denuo in vitam est revocatum, ita forsan ratiocinatus

est: cessante caussā, cessat effectus, et simul amovit antiquum  
hoc institutum, cuius bona plane neglexerat. Quam adversariam  
Pericopis foverit sententiam aperte patet ex ejus *Defensione II  
piae et orthodoxae fidei de Sacramentis contra Joachimi West-  
phali calumnias.* »Quod ad Sectiones spectat," inquit, »satis  
»ex omnibus veterum scriptorum Homiliis constat, Scripturae libros  
»uno contextu ad plebem fuisse expositos. Ut aliquid ex Euangelio  
»et Apostolicis lectionibus recitandum excerpterent, quod tempori con-  
»grueret, mos inolevit. Hinc Sectiones istae, pro quibus West-  
»phalus non secus ac pro aris et focis dimicat, quas tamen in-  
»eppe nulloque judicio factas esse, lectio coarguit. Certe si frag-  
»menta sumi oportuit, quae singulis diebus Dominicis legerentur,  
»longe alio delectu opus fuit. Nec modo perperam et inconside-  
»rate lectiones distribuit quisquis ille fuit sector, sed medias  
»interdum sententias nescio qua socordia abrupit. Ne quis tamen  
»putet Westphalum de nihilo excandescere, monitos esse volo lecto-  
»res de Postillis <sup>1)</sup> esse sollicitum. Quid enim sine Postillis  
»factura esset bona pars eorum, quibus se venditat? Lutheri qui  
»rebus adhuc incompositis se ad morem vulgarem accommodavit,  
»danda venia est: imo quod ad Euangelium spargendum hoc usus  
»est compendio, laudanda ejus industria et sedulitas. Sed pae-  
»postero ingenio est Westphalus, qui data opera in eodem luto  
»semper haerere volens, Lutheri rudimenta practexit, ac si quis  
»rectam viam ingressus, simul ac viac monstrator iter suum re-  
»flectit, in eodem loco pedem obstinate sgens, ultra progredi  
»recuset. Ergo Westphalus, Martinalia cum Papistis celebrans,  
»Euangelia et Epistolas ex solemnī Missarum praescripto cum  
»illis decantet, modo nobis liberum sit Euangelii doctrinam, ut  
»eam nobis Apostoli tradiderunt, in usum plebis aptare."

Nec minus Zwinglius, a teneris liberae S. Cod. explicationi  
et usui, nullis finibus circumscripto, assuefactus, Tigurum adve-

1) *Postilla*, i. e. Pericopae explicatio. Inscitia Clericorum huic voci originem  
dedit. Medio nempe aevo inter Clericos inveniebantur qui ne explicationem  
quidem ab ipso Textu distinguere possent; quapropter post Textum in Homiliario  
scripta legebantur verba: *post illa, scil. verba textus.*

niens A°. 1518, Pericopas neglexit. Quia in re populus, novarum rerum cupidus, et Senatus liberalis liberalique viro in omnibus facile cedens, se nullo modo ei opposuit, qui, solitorum Textuum loco, homiliis N. Foedus continuo auditoribus explicare coepcrat<sup>1)</sup>. Quae igitur olim sua ex Ecclesia ab ipsis Helveticis Reformatoribus ejectae sunt Pericopae, nunquam posteriore tempore in Helvetiam iterum sunt introductae.

Non ita apud nostrates. Gerhardus Brandtius memorat<sup>2)</sup> celebrem illum Hubertum Duifhusium diebus Dominicis Pericopas explicasse co consilio, ut sibi conciliaret Christianos, ritui Ecclesiae Pontificiae adhuc addictos. Quamvis autem variae causae e. g. timor ne impediretur libera Scripturae disquisitio, judicium theologorum Nederlandicorum Pericopis infustum<sup>3)</sup>, multorum praeterea nostratum instituti in Academia Genevensi et Calvini veneratio; quamvis igitur haec omnia efficerent ut a plerisque praedicatoribus Pericopae tollerentur, nonnulli tamen eorum in Hollandia et Zelandia hanc antiquam et venerabilem consuetudinem mox redintegrasse videntur. Quod certo nobis narrant Ypeij et Dermout<sup>4)</sup>; quod vero, sicut addunt, multis aliis Reformatis pastoribus tam parum placuit, ut in Synodo Provinciali Dordracenâ A°. 1574 Pericoparum usus vetaretur; qui nihilominus, illo decreto neglecto, magis magisque per ceteras provincias propagatus est, in primis, ubi postea Reformati pastores, quibus nulla praescripta fuit norma Ecclesiastica, certos Dominicæ Textus omnibus aliis praeferebant. Idem usus A°. 1578 tam altas ubique egerat radices, ut Nationalis Synodus Dordra-

1) Plura hac de re scire cupiens conf. MARHEINEKE, *Geschichte der Deutschen Reformation*, II Tom. pag. 157.

2) Vid. ejus *Historie der Reformatie*, Tom. I, pag. 619.

3) Inter alios hic præsertim nominandi sunt GUIL. AMESIUS, loco supra laud., GISB. VOETIUS, Polit. Ecel. P. I, Lib. 2, p. 607. «Hoc incommodum, inquit, ex hac Postillophobia consequi videtur, quod tales Conclaves, Dominicalem in ordinem perpetuo recurrentes, inscitiam et ignaviam tum concionatorum, tum auditorum soveant, uti experientia hoc comprobavit.»; JO. HOORNBEK, Miscell. Sacr. Lib. I, c. 8.

4) Vid. *Geschiedenis der Ned. Herv. Kerk*, Tom. I, pag. 513 seq.

cena, plenam ejus oppressionem bono cum fructu praescribi non posse videns, comiter tantum eum dissuaserit, sed dissentientes tamen se ferre velle simul promulgaverit. Quod idem repetitum est in Synodo Medioburgensi Nationali anni 1581. Ab hoc inde tempore Pericoparum usus Ecclesiasticus ita invaluit, ut, in Synodo Drenthina anni 1643, Reformatis ejus regionis pastoribus revera praecciperetur. Sed saec. XVIII universe quidem sensim sensimque decrevit; sed diutissime floruit, aut potius nonnullis locis languidum se conservavit, in provincia Groningae, ubi decreto demum Synodi anni 1818 diserte est abolitus.

Quae in Germania quoque est, Reformata Ecclesia Anni Ecclesiastici usu quodammodo Ecclesiae Lutheranae praxi se accommodavit, et nonnullis temporibus, c. c. Adventus, veteres retinuit Pericopas euangelicas atque epistolicas, quibus nullum quidem jejunium, sed quieta tamen ac placida Ecclesiae commendatur rerum divinarum meditatio. Quin in nonnullis illius Ecclesiis Reformatis, quamvis non pro concione tractentur, ex decreto tamen Ecclesiastico, veteres praelegendae sunt Pericopae<sup>1)</sup>.

Aliam, quam Zwinglius et Calvinus, inierunt, quoad Pericopas, viam Lutherus et Melanchtonius, qui universe moderatius quam illi, egerunt in Ecclesiâ restituendâ. Partim loco, ubi degebat, partim prudentia, partim etiam consuetudinis vi, quominus hâc quidem de re multa aboleret impeditus est Reformato Saxonicus. Qui, sicut Exorcismi in baptismo, confessionis oralis, altarium, imaginum, ludi organi minore, quam Calvinus, aversatione tenebatur, proclivior etiam erat, quam ille, ad usum Pericoparum retinendum. In Liturgia mutanda, etiam emendanda fuit cautissimus, lente properans, ne infirmos novis rebus inferendis offenderet. Pontificiorum autem annum Ecclesiasticum non, sicut Calvinus, rejicit, sed cum sacris tantum diebus et iis Mariae festis purgavit, quae S. Scripturâ nullo pacto niterentur, neque dogmaticas ob caussas post Reformationem diutius admitti possent,

---

1) Vid. G. F. W. Suckow, drei Zeitalter der Christl. Kirche, dargestellt in einem dreifachen Jahrgange Kirchlicher Pericopen; Vratisl. 1830.

quamvis hisce diebus pulcherrimi ex S. Codice excerpti loci secundum Lectionarium legerentur. Quidquid autem commode servari poterit servatum est. Nam praeter Dominicas et Festa majora conservabantur etiam Mariae annuntiatio, lustratio et visitatio, item Apostolorum dies, mythica significatione abjecta, quin festum Michaëlis, quasi Angelorum in homines efficacitatis consolatrix quaedam recordatio. Cum Luthero plane convenit Melanchtonius, qui suis in Postillis conservationem dierum memorabilium commendat. In Postilla *ad diem Johannis Baptistae*: »*Scitis,*» inquit, »*doctrinam communem de invocatione, quod solus Deus sit invocandus; semper autem in Ecclesia fuit commemorationis de excellentibus personis, quae inservierunt Ecclesiae in certis ministeriis.* Haec commemorationis, remota superstitione et idolatria, fuit necessaria, quia necesse est sciri historiam Ecclesiae." Iterum in Postilla *ad diem Purificationis Mariae*: »*Aliqui propter superstitiones Papisticas prorsus rejiciunt hoc festum, sed nos retinemus in Ecclesiis nostris, tamquam partem historiae Christi.*" Quali autem amicitia ambo illi conjunctissimi erant, tali etiam concordia statuerunt nil sine causa Ecclesiasticis in consuetudinibus, praincipuis a doctoribus institutis, mutandum esse.

Pericopis autem valde delectatum esse Lutherum, statui non potest, quippe qui diserte dicat de Epistola, secunda post Epiphaniam Dominicā legenda: »*Diese Epistel sollte forne länger und hinten kürzer sein, denn da sie anhebet, das hänget an der Epistel des vorigen Sonntags, und bricht am Ende also unzeitig ab, dasz wohl scheint, als sei sie von einem ungeschickten und umbesonnenen Meister also gestellt, der nur auf das Lesen in der Kirche, aber nicht auf das Lehren unter den Volke gedacht hat.*" Vid. L. Opera, Altenb. Ed. Tom. XII: 441. Nec magis Epistolae in Dominicam post Natales Christi optionem probavit. »*Es ist,*» inquit, »*gut schein, dass die vorige Epistel aus lauter unverstand ist auf diesen Sonntag verordnet, und derselbige Ordinirer had gemeint, dieweil sie saget von einem jungen Erben, der ein Herr ist aller Güter, es sei von dem*

»jungen Kinde Christo gesaget; wie denn derselbigen Epistel und »Euangelia viel mehr auf unebenen Tage verordnet sind aus gleichem Unverstande. Doch es lieget nichts an der Ordnung, ist »gleich viel welches auf welche Zeit gepredigt wird, wenn nur »der rechte Verstand bliebe in seiner Ordnung.“ o. l. XI: 322.

Quamvis autem multa vitia h̄ic et illīc in Pericopis videret et carperet, eas nihilominus retinuit, quia historicum, quod in Romana Ecclesia aderat, ut ita dicam, elementum sua in Ecclesia continuatum voluit. Pericoparum quoque conservationem per quam duxit necessariam Ecclesiae doctoribus, quorum scientiac ac peritiae, primis quidem Reformationis temporibus, multum adhuc deerat. Sicuti, rogante Carolo Magno, Homiliarium ab Alcuino et Paulo Diacono erat confectum, ita et, rogante Frederico Sapiente, Principe Saxonico, suam Postillam Ecclesiae (*Kirchenpostille*) conscripsit Lutherus; quippe cui persuasum esset bonarum de Pericopis praedicationum magnum esse desiderium, quia ipsi praedicatorcs illis bene explicandis nondum pares erant; nec bona aderant Homilia, nisi Taulerianum et Gele ride-Keiserbergii; qui quidem concionibus Textus desumpsit ex poēmate ironico Brandtii, cui titulus: *das Narrenschiff*!<sup>1)</sup> Alteri quoque eique celebri suarum concionum collectioni, quae *Hauspostille* vocatur, Pericopas tanquam fundamentum substravit strenuus Reformator. Propter multa mala, quae Pericopis insunt, earum tamen bona minime neglexit. (Cujus rei argumento plures sunt in ejus praedicationes introitus; ubi de apto hujus illiusve Pericopae delectu egregias saepe ac necopinatas prodit animadversiones). Conff. ejus praedicationes de Epistola Dominicæ post Festum Paschale, de Epistola secundæ Adventus, et septimæ Trinitatis. Paucis autem ut complectamus Lutheri de vetere Textuum collectione sententiam, ea sufficient, quae dicit in opere: *Deutsche Messe*, p. 278. »Das wir,“ inquit, »die Episteln und Evangelien, nach der Zeit des Jahres getheilt, wie bisher gewohnet, halten, ist die Ursache, wir wissen nichts

1) Vid. GERVINUS, *Geschichte der Deutschen Dichtung*, Tom. II, pag. 362.

»sonderliches in solcher weise zu tadeln.“ Hac autem in Textuum collectione, in primis in Epistolis, integra Pericoparum justa exstimatione, in posterum nonnullam mutationem voluisse Lutherum, infitiani nequimus. Plures enim iis insertos volebat locos, e S. Codice excerptos, de fide agentes justificante. »Es ist,” inquit, »noch nicht Zeit, dass man da eine Neuerung anfahe, weil man keine unchristliche liestet. Doch weil die Stücke aus den Episteln St. Pauli sollten gelesen werden, darin der Glaube gelehrt wird, sondern am meisten die, so auszerlichen Wandel und Ermahnung vorhalten, dass man wohl merken kan, dass der, so sie dermassen geordnet hat, sehr ungelehrt gewesen sei und allzu viel von den Werken gehalten hat, hätte sich's wohl gebührt, dass man die Stücke vornehmlich zu lesen verordnete, darin der Glaube an Christum gelehrt wird. Solches hat er auch zum öftsten Malen mit den Evangelien gethan, er sei nun wer er wolle gewesen, der solche Lection geordnet hat.” X, 2754. Lutheri sententiam de Pericopis, quaeque hujus Reformatoris sint peculiaria accuratius indagare cupienti praesto est opus laude dignissimum, auctore E. JONAS, die Kanzelberedsumkeit Luthers; Berolini 1852.

Auctoris vestigia pressit Ecclesia Lutherana, quae per longum annorum spatium usa est Pericopis, nulla unquam earum orta oppugnatione. Graviores fuerunt res, quae, mortuo Luthero, partium principes tenerent occupatos!

Primus, Aº. 1670, pius ille Spenerus magna virium contentione veterum Textuum abolitionem suasit. Religionis enim sensui excolendo vitaeque Christianae adaugendae quam parum eo tempore proficeret cultus publicus, Lutherana in Ecclesia rixis dogmaticis saevientibus, vidi Spenerus. Sua igitur instituit *Collegia pietatis*, in quibus Pericoparum, in primis Euangelicarum, usum acerrime atque impigre impugnavit. Audite, queso, quomodo eas increpet, suo in opere: *Theologische Bedenken*, Tom. 3, pag. 128: »Wo man die Hauptsachen, so wir im Christenthum zu treiben haben, vortragen will, so geben uns die Euangelischen Texte sehr wenig anlass, sondern muss fast alles bei Gelegenheit eingeschoben, ja oft mit den Haren bey gezogen werden.“ Mi-

nus severus erat in Epistolas, quippe quae ejus Exercitiis essent utiliores. Quae protulit consilia Pericoparum systematis emendandi, magnas ei paruerunt molestias et odia.

Pericoparum reprehensio, quae h̄c et illic, inde ab aetate Spenero-Frankiana, erat audit̄a, paullatim augebatur; tandemque sub finem saeculi praecedentis, quum libertatis studium omnem respuebat normam atque auctoritatem, in apertam erupit ac generalē fere oppugnationem. Alta voce conquesti sunt de ea, quam dicebant *Perikopenzwang*. Ut omnes h̄c memoremus theologos et oratores sacros, qui, suo quisque modo, in Pericopas sua conjecterunt vituperia, quis a nobis exspectet? Nullus fere ab illo inde tempore in Germania confectus est liber homileticus, nulla fere concionum collectionis scripta est praefatio, quin hac de re quereretur. Benevolo lectori aliquot sufficient rei exempla.

J. L. MOSHEMIUS<sup>1)</sup> de magnis Pericoparum vitiis queritur, et simul quantum meliorum desiderium esset memorat.

A. H. NIEMEYERUS<sup>2)</sup> absolutam praedicandi libertatem commendat et reprehendit praedicatores, qui, suo ipsorum commodo studentes et ne vetera mutarentur timentes, a Pericopis abrogandis alieni essent; quarum tamen abrogatio optabilis non tantum sit, sed necessaria adeo et Pastorum officio congrua, quia sine justa argumentorum varietate, nexu locorumque contextu spreto, electae sint; Arianorum tantum lites spectantes, quae Ecclesiam olim turbabant. Unde, eo judice, multae illae in Euangeliis miraculorum relationes, ad Christi propugnandam divinam naturam assumptae.

D. G. NIEMEYERUS<sup>3)</sup>, quamvis moderatiore usus judicio, novam tamen veteri addendam esse Pericoparum collectionem putat, ita ut major praedicationem commendet varietas.

Idem suasit J. C. ROSEN MULLERUS<sup>4)</sup>, qui inter primarias caussas, unde tot existant malae conciones, praefacte retentas Pericopas

1) Kirchengeschichte, 9 Th., 1778.

2) Entwurf der Pflichten Christlicher Lehrer; Halae, 1786.

3) Bibliothek für Prediger, Tom. IV, pag. 512, Aº. 1812.

4) Beytrag zur Homiletik; Lipsiae 1814.

recensendas esse arbitratur; dum studium hisce se vinculis liberandi variis ansam praebeat praedicandi methodis, quae diversas distinguant Germaniae Universitates. Sic *Concordantiae Methodum* exstare, a Carpovio propositam, quae viam doceat concordantiae ope conciones contexendi; sic *Realium Methodum Christiani Weissii*, qua discamus quomodo praedicationi allegoriae, Parabolae et historiae innecti possint.

THEOD. FLIEDNERUS<sup>1)</sup> intimae fidei vitae nullam capitaliorem esse putat pestem, quam coactum Pericoparum usum. Inde et Doctorum et Ecclesiae diminutum esse studium S. Codicis investigandi. Quotannis enim quae eadem redeunt attentionem habent; simplicem et utilem Scripturae S. explicationem impediunt; et istum praedicandi modum parant, qui textum quidem orationis tesseram sumit, sed mox, eo misso, aliud quid exponit (*mottopreeken*); qui adeo Jesu Christo crucifixo Ethicam substituit philosophicam. Quamvis abusum saepe pariat cultus externi libertas, meliorem tamen eam putat quam Textus praescriptos, et Rationalismi alimentum coactum censet Pericoparum usum. Puram ac fervidam Euangeli annuntiationem in iis tantum se invenisse dicit regionibus, ubi Textuum liber esset delectus.

C. F. AMMONIUS<sup>2)</sup> suas de hocce usu prodit querelas, pluribusque incommodis ansam dare Pericopas arguit. Quibus multi iisque gravissimi S. Cod. loci publica destituti maneat explicatione; practica S. Scripturae pars jaceat nimis negligita; ad Ecclesiac desideria praesentia quominus respiciat impediatur praedicator; segniores deinde praedicatores et imperitiores nimis allicantur ut ad concionum Promptuaria (*Predigt-Magazinen*) confugiant.

Inter nostrates etiam cum aliis J. DECKER ZIMMERMAN<sup>3)</sup> Pericopis se praebuit parum amicum, id arguens, unumquemque

1) Liturgische Mittheilungen aus Holland und England mit Bezug auf die neue Preussische Agende; Esscn, 1825.

2) Handbuch der Anleitung zur Kanzelberedsamkeit; Norimb., 1826.

3) Vid. Prol. in Tom 2 ejus Sermonum; Trajecti, 1819.

Textum uno solum contineri argumento, de quo igitur semel tantum pro concione agi possit.

Vituperatores autem si Pericopae habuerunt indefessos, laudatoribus gavisae sunt, qui contra certorum Textuum abrogationem acerrime in aciem procederent, eorumque conservationem strenue propugnarent. Homileticae historiae volumina suis paginis nobis illorum conservant nomina virorum, qui, sive instituti antiqui reverentia, sive prae metu novarum rerum inducendarum, quas Ecclesiae ducerent noxias, sive quia veritatis praedicandae Pericopas aplissima adhuc putarent vehicula, ad earum defensionem se accingerent, earumque pretium ad sidera usque extollerent. Nec deficientis varietatis nec neglecti contextus accusationem pro argumentis contra Pericopas valere passi sunt, et quamvis h̄ic et illic aliquid vitiosi iis adhaerere concederent, earum tamen bona co magis laudarunt. Id constitutis in Textibus celebratum voluerunt, quod praedicatori talibus agendi de rebus, quas alioquin ne verbo quidem attingere ausus esset, jus ac libertatem tribuerent, et simul frenos adhiberent, quibus cohibitus orator velocibus suis ipsius cogitationibus atque arbitratu suo temere se circumferri non pateretur. Quod ad impugnandum Arianismum multae Pericopae constitutae essent, cuidam objicienti quaestione responderunt: Quidni nostro tempore, quo acerius etiam quam olim, Ecclesiam malum istud infectat, hae Pericopae necessariae putandae sint? Pericopis deberi, quod toties a cultus sacri consilio aliena ratione et sine ullo fructu praedicaretur, ita negarunt, ut non Textum, sed praedicatoris id fieri culpā contenderent, quā, de liberis etiam Textibus pravas ipse conficeret orationes. S. Scripturae notitiam ac cognitionem Pericoparum ope inter Ecclesiae socios adauctam esse maximo cum gaudio indicare consueverunt; harmoniam etiam familiam inter atque Ecclesiam Pericopis comparatam laudantes. Accusationem autem, Textibus constitutis tot utilia pulchraque S. Scripturae apophlegmata e cultu publico excludi, ideoque S. Codicem integrum non legi, refutare conati sunt quaerendo: num liberis Textibus exponendis universae S. Scripturac notitia melius posset acquiri?

Acerrima autem Pericoparum defensione adversariis caussam suam persuadere non potuerunt earum laudatores. Quin usus ille quo diutius continuabatur, eo majus ad nostram usque memoriam multis peperit fastidium. Novissimi temporis ex acerrimis impugnatoribus unus h̄c p̄ae omnibus citetur ingeniosus ille praedicator, mirabile auditu, CLAUSIUS HARMS<sup>1)</sup>, cui ceteroquin quidquid Lutheranam redolebat originem acceptum erat. Vel sic tamen, qui omnibus textibus erat infensus, atque omnino ullo *sine* textu praedicare maluerat, illum non nisi infaustum de Pericopis ferre potuisse judicium, haud est mirandum. Multo melius, eo judice, se haberent res Ecclesiae, si praedicatori, ut ita dicam, Pericoparum freni non essent injecti. Aeque ac Spenerus, ita et ille, Epistolas p̄aefert Euangeliis, illas, horum ratione habita, quae ei sunt lac, firmum dicens cibum, Epistolas et Euangelia discernens ac sibi invicem opponens, tanquam πίστιν et γνῶσην. Scandalum est ei populum vel etiam cultiores, qui nuncupantur, tanti aestimare veteres illos Textus. Magna eorum incommoda, eo judice, commodis compensari nullo pacto possunt. Difficiliorēm faciunt praedicationem de salutis doctrina. Rationalistis licentiam praebent, nullo dogmate memorato, de Euangeliis praedicandi, quin ipsā Trinitatis Dominicā Textus argumentum evitandi, dum modo thematis cuiusdam excogitandi artis periti sint. Segniores faciunt praedicatores, nec ullo modo Ecclesiae socios excitant, qui sic eodem, quin potius majore cum fructu suae domi legant Postillas, quam templum adeant. Sic HARMSIUS.

Talia post gravissima in Pericopas collata vituperia, eas adversariorum factum iri praedam ac, nullo sui vestigio relichto, ex Ecclesia plane abrogatum iri, quis non exspectaret? Earum vero pretium, quamvis a plurimis, idque acerrime, impugnatū, alii, etsi illarum vitia bene perspiciebant, tanti aestimarunt, ut nihil non tentarent, ut illarum usum, sed temperatum illum et emendatum, in Ecclesia conservarent ac retinerent. Viri extiterunt qui hac Patrum hereditate Ecclesiam non orbandam curarent,

<sup>1)</sup> *Pastoral-theologie*; Chil., 1830.

partim ejus utilitate vindicata, partim quoque vitiis, quibus erat contaminata, emendatis. Quinam autem isti fuerint conatus, ac quem, quoad hodiernum, et in Germania et alibi, Pericoparum usum, habuerint eventum, quantum possumus, nunc videamus.

Novas igitur Pericoparum syllogas et series inducere et in usus Ecclesiae conferre plures coeperunt, quorum primus erat egregius ille FRANC. VOLCMAR. REINHARD. Huic enim, Principum decreto anni 1808, impositum est ut duas annuas series eligeret novorum Textuum, qui simul cum veteribus Euangelis et Epistolis unum efficerent Pericoparum cyclum, concinno ordine progredientem et redeuntem. De eo primum, unum per annum, antequam id in caeteris Saxoniae fieret Ecclesiis, praedicatum est in templo Euangelicorum principali; ita ut huic templo tertia Textuum series colligenda esset, quae per annum 1811 posset adhiberi. Quo facto omnes omnino Saxoniae Ecclesiae, eodem anno 1812, veterem Pericoparum collectionem more solito suum in usum simul convertere poterant. Per tres igitur annos de tribus novis Textuum collectionibus memorata in Ecclesia praedicandum erat Reinhardo. Multa per tres illos annos exposuit, quae, solitis Pericopis explicandis, vix potuerat vel verbo attingere. Quare ultimi ejus concessionum fasciculi anni singularis sunt momenti. Ipse illis novis confectis syllogis optime meritus est de praedicatione *in Saxonia* non tantum, sed etiam *extra* hoc regnum. Ei prae caeteris accepti imprimis fucrunt Textus historici, quos primo anno ex Euangeliis eo collegerat ordine, qui totius anni Ecclesiastici decursui plane responderet. Secundo autem anno ex Epistolis alteram confecit collectionem; tertio anno tales adhibuit Textus, quorum argumentum Ecclesiae esset incrementum et propagatio. Quae novae collectiones acquilibus si necessariae essent, non item Reinhardo ipsi; qui, quod unus ex ejus laudatoribus<sup>1)</sup> jure animadvertisit, per viginti certe annos continuos de iisdem veteribus Pericopis, novo identidem modo, praedicare potuerat. Quantu autem ipse veteres existimaret Pericopas, quantumque se iis de-

1) C. A. BÖTTIGER, F. V. REINHARD, literarisch gezeichnet; Dresden 1813.

bere ipso sentiret, ex memorabili ejus appareret dicto: »*Die Nothwendigkeit, in der ich mich so viele Jahre hindurch befunden habe, unablässig über dicselben Euangelischen Pericopen und über manchen derselben sogar jährlich mehr als einmal zu predigen, had nicht wenig da zu beygetragen den Erfindungsgeist zu wecken und zu schärfen*“<sup>1)</sup>.

Post Reinhardum RÖHRIUS, in opere, cui titulus *Euangelienbuch*, certorum Textuum autorem se professus est. Quos autem adhuc exhibebant Textus, tanquam non sufficientes improbavit, ideoque tres novas obtulit collectiones annuas Pericoparum Euangelicarum, idque ita, ut veteres etiam, paucis vel potius nullis ab eo mutatis, conservarentur.

DIMMIUS<sup>2)</sup> postea suasit hodiernis Pericopis Harmoniam substituere quatuor Euangeliorum, quorum locorum singulis Dominicis instituta praedicatio duobus vel tribus annis absolveretur.

H. N. CLAUSEN<sup>3)</sup> veteris Textuum seriei omnibus acriter et perspicue monstratis vitiis, ad novam inducendam collectionem quam maxime incitat Ecclesiam. Qua in re duo momenta negligantur cavere jubet: 1<sup>o</sup>. Euangelium inter atque Epistolas certus sit nexus, ita ut illorum quasi commentarium hae impertiant; et 2<sup>o</sup>. in his et illis eligendis accurate observetur annus Ecclesiasticus. Veteris Foederis Textus plane excludendos putat. Talis antem Pericoparum seriei, in artis formam redactac, nobis simul praebet exemplum; quod vero, nostro e judicio, non omnibus in rebus normae respondet, ab eo ipso positae.

SUCCOVRIUS, in opere jam laudato, quamvis Textuum constitutorum ipse etiam sit suesor, varias tamen ob caussas veteres Pericopas probare non potest. Novis debent locum cedere. Quod quidem, eo judice, difficile erit opus; sed externam quidem Ecclesiae unitatem ex universo usu et in posterum continuato

<sup>1)</sup> Vid. REINHARDII liber: Geständnisse seine Predigten und Bildung zum Prediger betreffend; Salzbach, 1811, p. 115.

<sup>2)</sup> Vid. Archive für Pastoralwissenschaften; J. 1825, p. 192.

<sup>3)</sup> Vid. Kirchenverfassung, Lehre und Ritus des Katholicismus und Protestantismus; Neostad. ad Orlam, 1829.

veteris istius collectionis, quae tam parum ejus consiliis sufficiat, existere posse putat, non item veram ejus utilitatem. In qua quae displicebant postquam prolixo exposuerat, novam colligere Textuum seriem instituit, in qua, quoad fieri posset, ordo observaretur chronologicus. *Tres* proponit series annuas. *Prima* absolvendum putat Euangelium Matthaei cum Actis Apostolorum, quia, eo iudice, uterque hic liber Judaicis et V. Foederis sententiis moribusque est refertus. *Secunda* contineatur Euangelii Lucae et Pauli Epistolarum expositio, quia, Succovio iudice, utriusque viri scripta eandem commendent doctrinam salutis ex fide comparanda, nec vero ex legis operibus. *Ultima* denique tractanda commendat Euangelium Johannis, Epistolas Catholicas, Epistolam ad Hebreos et Apocalypsin, quos omnes libros placidiorem p[re] se ferre mentem, quam caeteros N. F., arbitratur; quare in illis excelsiore cernit unitatem, quo duabus prioribus tractatis collectionibus sit perveniendum. Plura de utili auctoris opere hic dicere nobis non licet. Ad ipsum ejus opus lectorem remittimus, in quo indicem recenset trium annorum Textuum, quorum delictum prolixis etiam argumentis defendit. Ubiunque, quod sibi proposuerat, consilium id permiserat, veteres Pericopas eum retinuisse et earum emendationem magis, quam abrogationem, spectasse, ex opere laudato appareret.

R. STIER<sup>1)</sup> mediam viam proposuit, qua fore ut veterum Pericoparum et amicos et adversarios reconciliaret sperabat. Veteres scil. Textus constitutos in publico cultu tantum legi vult, ita ut praedicatori pro suo libitu liceat atque arbitratu textum elegere, qui cum recitato illo quendam habeat nexum.

Non totam Scripturam, sed totam potius Ecclesiae doctrinam anno Ecclesiastico tractandam esse censem A. SCHWEIZER<sup>2)</sup>.

Idem statuit REDEPENNINGIUS<sup>3)</sup>.

PALMERUS, postquam egregio in opere: *Euangelische Homiletik*

1) Vid. Keryktik; edit. 2, p. 215 seqq.

2) Vid. Homiletik der Euangel. Protest. Kirche, 1848, p. 216.

3) Vid. Vorschläge zu einer Kirchenordnung für's Protest. Deutschland, p. 112; Götting. 1848.

sine ira et studio veterum Textuum commoda atque incommoda comparaverat, primarias historiae euangelicac partes totum per annum legendo dispertiendas putavit, ideoque talem commendat Pericoparum collectionem, quae Euangeliis tantum constet. Quare, sicut caute animadvertisit, unitas servabitur in cultu, quum in Ecclesiis omnibus textus constitutus praedicetur; cuius vero exponendi methodus praedicatoris ingenio ac prudentiae permitatur. Quae autem vespero et per hebdomada haberentur predicationes, eas locis tribuendas putabat excerptis ex V. Fodere Apostolorumque Scriptis. Quo facto suum quaeque Dominica retineat characterem et colorem peculiarem. Duas Pericoparum induci series non probat, quia multum hinc caperet detrimenti unitas Ecclesiastica, si quidem haud eadem omnibus in Ecclesiis eodem tempore exponeretur locorum series.

E. RANKE<sup>1)</sup> nuperrime novum Pericoparum sistema commendavit, in monitis fundatum, jam antea in opere historico supra laudato traditis, (1847) ubi praeccipuorum ex Euangeliis locorum, qui vetere in collectione non occurunt, annuam tradit seriem; alteramque denuo ex caeteris N. T. scriptis, eas in primis partes continentem, quas vetus collectio vulgo inusitatas reliquerat; duas denique Pericoparum series annuas, cultus pomeridiani in usum, quarum Textus omnes ex V. F. lecti sunt.

NITZSCHIUS<sup>2)</sup> Pericoparum scriei, a se constitutae, acque a Rankius, Veteris F. inseruit locos. Plures Provinciac Rhenanae illam usu terunt; quamquam magistratus Ecclesiastici eam publico decreto nondum ratam fecerunt.

Quam grave indagationis objectum sit Pericoparum quaestio, ex multis, quae hac de re novissimo tempore in Germania conscripta sunt atque edita et adhuc edi pergunta, operibus dilucide patet. Tantum abest ut omnibus jam numeris absolutus sit labor ille, ut multo magis adhuc in progressu versari dici possit. Egre-

<sup>1)</sup> Vid. Kritische Zusammenstellung der innerhalb der Evangelischen Kirche Deutschlands eingeführten neuen Pericopenkreise; Berolini, 1850.

<sup>2)</sup> Vid. Biblische Vorlesungen über das A. u N. T.; Bonn, 1846.

gia hic merita et alii habent et imprimis F. G. LISCO<sup>1)</sup>, HENRICUS ALT<sup>2)</sup>, REINHOLDUS BOBERTAG<sup>3)</sup> aliisque, qui, sub titulo : »*Annus Ecclesiasticus*«, hac de re egerunt. Prae caeteris autem valde laudanda est opera Bobertagii, qui cum Liscone, Pericopas veteres, in primis Epistolas, tanquam unum bene connexum corpus informare conato, non consentit. Ipse enim neque in Epistolis ab Ecclesia usitatis, neque in Euangeliis commodum illum animadvertisit nexus ac consilium. Nec tamen ideo annum Ecclesiasticum sublatum vult, neque anctoritatem S. Scripturac eximiumque locum in cultu Euangelico ei debitum in dubium revocat. E contrario disertis declarat verbis se novi Pericoparum systematis primariam conditionem in eo positam esse arbitrari, ut accuratius definiatur annus Ecclesiasticus; nulla non indicia undique indagentur ad hunc annum melius circumscribendum; neque aliquot tantum S. Cod. loci, sed totum N. T., quoad fieri possit, in Pericopas dividatur. Huic, quod sibi proposuerat, non levi consilio egregie satisfecit Bobertagius; cuius opera, viginti annorum fructus, majus etiam acquirit pretium, addito comparativo conspectu Textuum seriei, ab ipso excogitatae, et apte explicitae, et cum vetere et cum sex usitatoribus posteriorum et recentiorum Pericoparum collectionibus collatione.

Sua vi non destituta fuerunt omnia illa consilia et incepta veteris Pericoparum collectionis emendandae. Quod ex explicito hodierno Pericoparum usu, tum in Germania tum alibi, nunc nobis apparebit.

In veteribus patienter acquiescero Textibus et ne quicquam in iis mutaretur admonere, id multi Germani summam habuerunt orthodoxiam, unumquemque autem Pericopas emendandi conatum heterodoxiae indicium nuncuparunt<sup>4)</sup>. Vel sic tamen non pauci

1) Das Christliche Kirchenjahr; edit. 4, 1852.

2) Das Kirchenjahr mit seinen Texte; Berolini 1858.

3) Das Evangelische Kirchenjahr in sämtlichen Pericopen des N. T. Vratisl., edit. 2. 1857.

4) Vid. LÖHE, drei Bücher von der Kirche, p. 129. »Derselbe Geist ruhiger, sicherer, vorsichts- und zuversichtsvoller Weisheit regiert den Prediger der (Luth.)

magistratus, et civiles et Ecclesiastici, novas Pericoparum series vel commendare vel inducere haud reformidarunt. Cujus rei quem nunc exhibuimus conspectum, eum haud esse absolutum, bene cognitum habemus. Verum ut animadvertisca quae sumus, quam nobis nostra in patria difficile sit de unaquaque regione peregrina certa comperire.

In *Brunsvicia Lunenburgica* primum temperatis usi sunt Pericopis, et decreverunt ut, ubicunque tempore antemeridiano tantum praedicaretur, in posterum Euangelia et Epistolae se invicem exciperent.

In *Vimariae Ducatu* veteri hīc et illic immutatae collectioni tres additae sunt novae Textuum series.

In *Ecclesiam Badensem Unitam*, conservata vetere, novam etiam introduxerunt collectionem. Per duos annos pro concione tractantur constituti, tertio autem, liberi Textus.

In *regione Baireuthi* quadriennalis cycli usus valet, idque Synodi Generalis Bavariac jussu.

In *Saxonia* praeter non nihil mutatam veterem collectionem, de qua per duos annos praedicatur, tertio anno series Textuum historicorum adhibetur; quarto practerea cyclus historico-didacticus cum triplice Textuum genere.

In *Borussia* Pericopae quidem leguntur ad altare, sed praedicatori de alio textu sermonem habere concessum est.

In *regionibus Rhenanis* id obtinet, quod animadvertisca Nitzschio dicentes, pag. 69.

In *Virtobergae Regno* (Wurtemberg) duas sunt series annuas, quibus singulis duo anni continui consumuntur.

»Kirche bei der Wahl seiner Tekste. Er freut sich der altherkömmlichen Perikopen, und würde, auch wenn er dürfte, nicht gerne, anstatt ihrer freie Tekste oder fortlaufende Stücke der H. Schrift seinen Vorträgen in den Hauptgottesdienste zu grunde legen. Er behält wohl am liebsten die Euangelien für den Hauptgottesdienst, lässt die Episteln an ihrer Stelle in der Ordnung des Gottesdienstes, und wird nicht müde über die Euangelien zu predigen.“

Vid. etiam AHLFELD, Zeugnisse aus den inneren Leben, 1858, in Praefat. ad Vol. III.

In *Hannovera* et tractu *Stade*, anno jam 1769, inducta est Pericoparum series in multis mutata; cuius nempe veteres Textus plerique longiores facti sunt.

In *Hassia* et *Brunsvicia* praedicatori licet vel veteribus uti Pericopis, vel pro arbitratu liberum sibi textum eligere.

In *Nassavia* octo exstant Textuum collectiones annuae.

In *Slesvicia* et *Holsatia* Lutherani, jam antequam cum Reformatis erant conjuncti, Pericopas abrogaverant, et liberum concesserant textum delectum.

In *Dania* jam ante Reformationem constitutum erat ut vernacula lingua textus legoretur Euangelicus. Qui in Dania praescriptus, et maxima pro parte ad normam ritualium Lutheranorum institutus erat, cultus, eum usque ad saec. XVII continuatum esse ex *Ritualium* libro apparet anni 1685, et ex libro *Altaris* anni 1688. Et ad hunc usque diem, quoad primarias, quibus constabat, partes, illo exstat in regno idem ille ritus.

Nulla, quantum novimus, veterum Pericoparum mutatio in regionibus plane Lutheranis facta est *Suecia* et *Norvegia*.

In *Francogallia* quae est Ecclesia Lutherana, tempore antemeridiano veteribus de textibus praedicandum curat; quibus vero aliae quatuor series annuac, recentiore tempore compositae, gratam in variationem sunt additae.

*Nostra in Patria* Lutherana Ecclesia Amstelodami, forsitan quoque in aliis nonnullis urbibus, certas in praedicandi vices Pericoparum usum retinuit; qui vero pedentim liberae cedit Euangeli annuntiationi.

*Anglicanorum* tandem in Ecclesia continuus processit Euangeliorum Epistolarumque usus, quae suis cum collectis (*collects*) inveniuntur in libro: *Book of common Prayer*, ex quo, cum Lutheranorum Textibus comparato, nullum fere has inter et illas Pericopas intercedere discriminem rescivimus.

---

## C O N C L U S I O.

His omnibus expositis, ad ea progredi possumus, quae nostrae disquisitionis conclusionem contineant volumus, ut explicemus quae, in Nederlandicae Reformatorum Ecclesiae commodum ac futurum incrementum, monita inde redundant atque utiles observationes.

Pest omnia de Pericopis a nobis exposita, post omnes multorum de earum pretio proditas sententias, quaerendum in primis esse *utrum* et *quatenus* nostrae Ecclesiae Annus restituendus sit Ecclesiasticus ac denuo introducendi certi sint Textus, nemo non videt.

Est haec quaestio summi prorsus momenti nostro maxime temporis. Magis enim, quam unquam antea, nunc vegeta cura viget *liturgicae* in Ecclesia Protestantium reformationis et renovandi ejus cultus. Quicunque hujus Ecclesiae primarium bene cognitum habent fundamentum ejusque florem exoptant, quamvis minoribus in rebus dissentiant, in eo tamen consentiunt, ut praecipuum cultus divini consilium esse statuant Ecclesiae aedificationem per Dei verbum, cuius Christus animus est et centrum. Hoc consilium qui spectat et attingere avet neque in subsidiorum, quae eo conductan, delectu nimis accuratus, neque in eorum dijudi-

catione nimis severus esse potest. Optimam nobis viam aperit *Praedicatio*, quae S. Codice nisa, exeat a S. Scripturac loco, a *Textu*, qui, si apte lectus est, orationis jam est dimidium. »*Bonus, inquiunt, textus valet dimidium sermonis.*” Quanti autem omni tempore in Ecclesia *Textus* sit aestimatus, hinc patet, quod vel totum S. Codicem medio aevo *Textum* appellarint<sup>1)</sup>.

Verum est, quod nonnulli arguunt, valde euangelice praedicari posse, *Textu* omissio; ratione contra Euangelio adversante, *Textu* retento; nec semper sanctum aliquod verbum, praedicationis capiti praepositorum, ejus sanctum reddere argumentum. *Textus* igitur recitationem consentimus parum valere, quum apophthegmatis tantum instar eum adhibet Orator, unde proverbiis vulgaribus exponendis ansam sibi quaerat. Quod in quodam Germanice conscriptarum praedicationum fasciculo obtinuit. Ibi e. c. 3<sup>ae</sup> Adventus diei *Textui* explanatio annexitur de proverbio: »*Nunquam satis edoctus est homo*”; 4<sup>ae</sup> Adventus: »*Marime prodest veritas*”; post 1<sup>am</sup> Epiphaniam: »*Non ante annos prudenteria*”; post Dominicam Palmarum: »*Tempori cedas*”; et plura hujusmodi<sup>2)</sup>. Illae sane nequaquam praedicationes sunt, quibus Christiana indigeat Ecclesia, quibusque cognitione veritatis in Christo aedificari possit. Quod attulimus exemplum abunde indicat, quam facile, data sine *Textu* praedicandi libertate, antiquus redintegrari possit usus, quum de Aristotele ageretur, orationesque de poëmatibus satyricis Ecclesiae alimento pro spirituali offerrentur; quam facile viam nonnulli ingrederentur Rationalistarum, qui de Hufelandii »*arte vitam prorogandi*” suos sermones conficerent, vel Unitariorum Anglorum, qui ex Schillero aut Byrone, poetis Deïstis, suos desumant *Textus*<sup>3)</sup>.

Necessario igitur adsit *Textus*. Hic autem utrum praedicatori nostra in Ecclesia praescribendus est, an vero, qui adhuc apud Reformatos viget usus, liberac illius optioni concedendus? Utrum-

1) Conf. DU FRESNE, Glossarium mediae et infimae Latinitatis.

2) Conf. CL. HARMS, Pastoraltheol., p. 65 seq.

3) Vid. ROSENKRANS, Encyklopädie der Theol. Wissenschaften; Halac 1831, p. 367.

que, novi enim, peculiaria sua commoda habet atque incommoda. Multo majora tamen, quam ex nimia illa fortassis, praedicatoribus hac in re adhuc concessa, libertate, constitutis ex textibus existere emolumenta statuendum est. Certo enim constitutus textus ab optione saepius molesta concionatorem liberat argumenti eligendi, quod p[re]a[er]e alio quovis huic maxime tempori aptum videatur. Hac autem ab optione, sicut recte animadvertisit v. d. Hoeven<sup>1)</sup>, mirum quantum pendet, ad eamque recte faciendam et aliae eximiae requiruntur ingenii animique dotes et mens practica, fervida pietas ac foecunda phantasia. Eadem optio praeterea praedicatori magnum parit laborem. Suum igitur ipsius commodum ac sensum p[re]a[er]e Ecclesiae desiderio atque utilitate aliquando ab eo consuli, jure questus est Egelingius<sup>2)</sup>; ita ut forte roganti cui: »quorsum hodie huncce elegisti textum?» nec prudenter nec rationis et conscientiae ex legibus respondere possit Antistes. Tale autem incommodum evanescit, certis institutis textibus, quippe qui modo angustiorem, mox ampliorem ei sph[er]am aperiant idcarum ac sententiarum, quibus et c[on]junctis thema circumscribatur, et simul coh[er]beatur ipse ne argumentis eligendis partium studio ducatur, eoque modo et suo ipsius et auditorum minus proposit progressui spirituali. Sed ideo etiam libero Oratoris arbitratu lectis constitutos p[re]ferendos esse textus putamus, ut p[re]parata esse possit concio ad ea, quae vel auditura est, vel audire certe poterit, et ita ad S. Codicem per vestigandum et rerum divinarum cognitione progrediendum magis magisque uberem habeat occasionem.

»Cujusque hebdomadis orationem praedicatoris intimi animi  
»quasi expressam esse effigiem optabile est; propterea liber ei  
»concedatur textus delectus oportet." Hoc alias multos contra me allatueros p[re]avideo. Iis vero modestam repono animadversiōnem, si Antistitis temperamento et libero arbitrio quaecunque

1) Conf. JOHANNES CHRYSOSTOMUS voornamelijk beschouwd als een voorbeeld van ware kanselwelsprekendheid; Delphis B. 1825, p. 108.

2) Vid. *Vriendelijke vraag aan mijne Medebroeders*; in HERINGA's Kerkelijke Raadvrager en Raadgever, 3<sup>e</sup> Dl., 1<sup>e</sup> St.

ad orationem sacram pertinent relinquerentur, fore ut multae praeterirent Dominicæ, quibus nullum audirent sermonem fideles. Quod nec Pastoris socordiae nec minori ejus in gregem amori tribuerim, sed naturae humanae imbecillitati. In memoriam lectori hic revocabo Napoleontis Rousselii, Viri pii atque impigri, aperta haec verba <sup>1)</sup>: «*J'ai plus d'une fois conçu le projet de monter en chaire et de dire à mes auditeurs : M. F. je suis aussi fatigué de sermons que vous-mêmes.*» Multum autem abest ut religiosum Doctoris sensum et temperamentum e predicatione plane removere velimus. Sed ne nimis iis se tradat, certis textibus cavere multo magis voluimus.

Constitutis pro Textibus cum dicimus, veteribus pro Pericopis nos stare easque nostram in Ecclesiæ introductas velle, putent fortassis nonnulli. Non ita, benevole lector! non hoc nobis est desiderium, nec temporis peracti tam acres sumus laudatores, ut illius vitia non videamus. Pericopas vindicavimus, ubique jure id fieri posse nobis visum est; simul autem ea carpsimus, quae in earum compositione et delectu rei minus congrua sint ac minus laudabilia. Nostrorum autem temporum nemo nos ita ignaros ducat neque iis tam impares, ut illam textuum seriem pervetustam hodiernum in usum commendare velimus integrum atque intactam, idque eâ in Ecclesiâ, ubi libera textuum optio nunquam fuerit cohibita. Vel sic tamen liberis textibus, nullo conjunctis ordine, constitutas longe tractandas præferremus Pericopas veteres. Nec Bruyerii haec nobis verba objiciantur: «*Il faut marcher par des chemins battus, dire ce qui a été dit, et ce que l'on prévoit que vous allez dire ; les matières sont grandes, mais usées et triviales ; les principes sûrs, mais dont les auditeurs pénètrent les conclusions d'une seule vue* <sup>2)</sup>.» — Qualia opponenti respondebimus vetustum usum quamvis mancum, eujus vero fundamenta ordinis sint et convenientiae leges, longe præferendum esse licentiae dissolutae, qua summa Ecclesiae jura ejus Ministeriorum arbitrio tradantur ac libidini.

1) Conf. aureus ejus libellus: *Comment il ne faut pas prêcher?* Parisiis 1858.

2) Vid. DE LA BRUYÈRE, les Caractères de Theophraste Chap.: De la Chaire).

Nec tamen ad veteres redire Pericopas necesse est, ut ea instituatur, quam nostrae praedicandi methodo optabilem esse censemus, emendatio. Talem potius Reformatam nostratum in Ecclesiam introductam velimus novarum Pericoparum collectionem, qualem Protestantium Germania passim suum in usum induxit, cuique perficiendae operam dare continuo pergit. Talem mihi volo collectionem, quae prae scriptam inter ac liberam rationem, constitutam inter ac variabilem, inter ea, quae historice tradita sunt, et quae praesens temporis conditio postulat, modiam prudenter teneat viam, queaque non characteristicis nitatur alicujus societatis Ecclesiasticae dogmatibus, sed magna illa Euangelii facta fundamenta habeat. Talis Pericoparum series si introduceatur, nos quidem magno gudio res afficeret. Verum nostri voti fore ut compotes fiamus, ne sperare quidem audemus, quippe qui non ignoremus, quam multiplici oppositioni obnoxium futurum esset consilium. Quam parum enim ad praedicandi reformatam rationem proclivis sit nostra Ecclesia, satis exiguus demonstravit consensus, quem sibi, ante decem hos annos in lucem edita, conciliavit pulcherrima MUURLINGII adhortatio *ad pleniorum Christi annunciationem*, cujus sane Viri clarissimi auditu dignissima erat vox. *Christi annunciatio, arctissimo cum Anno Ecclesiastico nexu conjuncta*, Ecclesiae quam utilis sit ac necessaria, clare demonstravit ille. Cujus vestigia prementes, nos quoque, in Ecclesiae Reformatae Nederlandicae commodum, eandem commendatam velimus rationem, quae *ad pleniorum non tantum Christi annunciationem ducat; sed etiam 1°. ad Homiletices impigrius studium, Euangelii praestantia melius cognita et pluris habita; 2°. ad arctiorem vitae ecclesiasticae et civilis conjunctionem; et 3°. ad optabilem societatum Christianarum ac magis amicam necessitudinem.*

» *C'est défigurer l'Écriture,*” inquit Fénélonius 1) — » que de ne « la faire connaître aux Chrétiens que par des passages détachés.

---

1) Vid. Dialogues sur l'Eloquence en general et sur celle de la Chaire en particulier.

»Ces passages, tout beaux qu'ils sont, ne peuvent seuls faire sentir toute leur beauté, quand on n'en connaît point la suite, car tout est suivi dans l'Écriture, et cette suite est ce qu'il y a de plus grand et de merveilleux. Je voudrais qu'un prédicateur expliquât toute la religion, qu'il la développât d'une manière sensible, qu'il montrât l'institution des choses, et qu'il en marquât la suite." — Verissime haec Vir pius dixit atque amabilis. Textibus enim undique collatis, in minimas saepe aliquibus versus particulias dissectis, omni nexu ac contextu spreto (haud raro constituto jam themate, tesserae instar, adhibitis) sine ullo ordine pro Ministri arbitrio ac forte fortuna quasi expositis, Christianorum notitia Euangelii non magnopere potest augeri, nec magis ad Eum plane converti eorum animi, qui sublime est hujus Euangelii argumentum. Euangelii lux ac vita Christiana tum demum in Ecclesia crescent ac florebunt, quum Concionator, anni Ecclesiastici nexu observato ejusque ratione habita, suos eliget textus eosque exponet. Anni enim Ecclesiastici festa tantum, sua vice quae continuo redeunt, apte praedicationem definire possunt, et sua sponte Oratori viam aperire ad continuam, constantem integrumque Christi annunciationem. Haec autem optime fieri possunt et plurimos efferent fructus salutares, ubicunque historice dicatur, sive ubicunque praedicator neque abstractis de religione speculationibus indulget, nec talem annunciet Christum, qualem sua sibi phantasia finxit, aut ad hujus illiusve scholae doctrinam sibi informavit; sed ubicunque cor datus Orator talem omnino praebeat, qualem Euangelia Ejusque primi testes eum nobis depingunt, Christum; ubicunque, dogmaticam etiam aut apologeticam moralemve Christianismi partem Ecclesiae proponens, eam semper huic illive Christi vitae facto dicendo annexit. Tum demum, quando hocce modo historiae perpetuo via fidelibus proponitur Christus, Ejus annunciatione constantem eam ac sanctam in iis excitare potest et alcre fidei vitam, cuius acquisitio, progressus atque augmentum praedicatione semper spectavit Ecclesia. Ubinam autem aptiorem hujus salutaris Christi annunciationis ducem invenias atque accipias, quam

in festis majoribus horumque praeparationibus offert annus Ecclesiasticus<sup>1)</sup>? Omnia enim, quae ad Jesu pertinent historiam, quasi absoluta continentur tribus festis majoribus; quorum si quis sequitur in praedicando consecrationem, magno a vitio, Evangelii annuntiationem nunc vulgo deformante, et consilii atque ordinis defectu, et vaga ista per varias et remotissimas S. Cod. partes divagatione, servabitur immunis. Annum Ecclesiasticum plane negligi non oportere vel invita sentit nostra Ecclesia Reformata. Quod nisi ita sese habeat, quomodo perpetuum ejus studium explices, Ecclesiam ad Paschatis festum meditationibus, per septem hebdomadas de ultima Domini Passione habendis, quotannis praeparandi<sup>2)</sup>? Cur autem Paschati tantum hocce tribuitur tempus praeparationis? quidni et caeteris festis? Igitur nullus aut fere nullius momenti sunt ea omnia tempora solennia, quae Lutherana et Pontificia in Ecclesia sunt usitata, Adventus et Epiphania, Praeparatio ad Natalem hujusque postea iustituta meditatio? Non ita. Ad integrum totumque annum Ecclesiasticum est redcundum, totiusque salutis patefactae via praedicatione est complectenda, si quidem Christi annunciationis Ecclesia ubiores in posterum revera carptura sit fructus. Quod vero ut efficiatur, non opus esse ut singulis Dominicis certos constituamus textus, quisque videt. Cum libertate nostra in Christo bene conjungi posset vinculum, quo nos ligatos vellemus. Vel sic tamen satis largam Antistes inveniret facultatem eligendi et distincte tradendi quod et Christi honorem et Ecclesiae salutem provehere posset; multis item libere electis textibus expoundendis, id agere posset ut sancta Christi imago fidelium in cordibus informaretur. Inde a Domini Natali usque ad Pentecosten Illius vitam Ejusque Ecclesiam conditam ordine chronologico coram Ecclesia recordari, postea autem per Semestre Ecclesiae

1) Conf. DOMELA NIEUWENHUIS, de hooge Feesten der Christ. Kerk en hunne bestemming; Leov. 1834. Item: W. BROES, Textenrol., Hoofdst. IV en V.

2) Qua in re nostra Ecclesia pulchre se distinguit ab Ecclesia Genevensi, quae hoc anni tempore de Passione nullas habet meditationes, et ubi Palmarum Dominica Simeonis canticum (Luc. II: 25—33) tractatum audivi ipse.

eadem viâ eodemque ordine de fide in Christo hujusque in vita antiquissimorum fidelium manifestatione verba facere Oratorem consentaneum esset. Quod autem post haec peracta restat temporis spatium, gravissimis posterioris historiae Ecclesiasticae momentis enarrandis completere quid vetat? Quid quod, auctore Muurlingio, multis aliis rebus locus dari possit, quas cognovisse nostro tempore nostraque in patria Ecclesiae multum interest. Ita igitur suos quisque eligat et exponat textus, ut anno Ecclesiastico absoluto, unum complectantur numeris aequalem cursum, quo contineatur Dei in Christo manifestatio, Euangelii, ut ita dicam, Epitome.

Sed non tantum ad Christi annunciationem in Ecclesia emendandam valebit anni Ecclesiastici accuratior observatio, sed etiam *ad impigrius studium Homiletices, Euangelii et melius cognita et pluris habita praestantia.*

Eloquentia sacra (sub finem saeculi XVII primum vocata *Homiletica*) multa per saecula Rhetoricae classicae et postea Scholasticae didacticæ vinculis jacebat ligata. Nec illis se vinculis liberare potuerunt Euangelii praedicatores, quales fuerunt Chrysostomus et Augustinus, Erasmus et Melanchton. Nec iis plane immunem se servare potuit Spenerus, optimus ille Vir et pietate insignis. Posteriore tempore, quam Homiletica Rationalismi principiis, Eudaemonismo ac placitis Kantianis esset contaminata, horum adversarii, quales Reinhardius, Thereminus et Dräsekius, nimis adhuc aestimantes classicæ antiquitatis Rheticam, quominus inter normas Ciceronianas et Christiani praedicatoris vocationem suspensa volitaret Homiletica, impedire non potuerunt. — Verum, recentissimo hocce tempore, euangelicae praedicationis characteri peculiari suum tribui jus coptum est. Nunc a Schleiermacherio, Palmero, Stierio, Nitzschio, Schweizero, Gauppio aliisque Homileticæ plane euangelicae definita sunt lineamenta. Pro Classico et rhetorico vel Scholastico et didacticō, nunc huic doctrinae substructum est fundamentum specialiter Ecclesiasticum. Non, sicut antea, longius a se invicem sacra in oratione secernunt matries et forma. Verbum Dei, Ecclesia, ipse praedicator,

*factores esse censentur, si hoc verbo uti licet, qui cum Spiritu S. veluti coöperantes, praedicationis consilium definiant ac progressum.* Eloquentia sacra, historica sua significatione, simul cum Ecclesia Christiana, vitam jam adesse ponit Christianam. Plane igitur Religionis actus est praedicatio ejusque consilium manifestatio vitae, quae adsit, spiritualis. Ac praeterea ipsius oratoris fide totius Ecclesiae fides declaratur. Ut Dei verbum hominibus tradatur, verus hic sit oportet atque omnibus temporibus valens orationis sacrae character, ut, in Ecclesiae fide S. Scripturæ habita bene fundata, gravissimis vitae Ecclesiasticae momentis i. e. Festis annoque Ecclesiastico annectatur.

His monitis quomodo censeamus majorem anni memorati observationem ad constantius Ilomiletices Euangelicae studium Antistites incitare posse, cuique facile est intellectu. Illo enim anno Eloquentiae sacrae naturam atque indolem, tanquam Christi annunciationem, quoad gravissima ejus apparitionis momenta, definitente, concisa magis et praecisa evadet haec doctrina, et materie aliena simul purgabitur; praeterea hujus studii ambitus accuratius circumscribetur, ejusque principium ac consilium magis illustrabuntur; item subsidia, quae hoc consilium ut attingatur adhibenda sint. His tamen positis limitibus eam libertatem praedicatoribus concedit annus Ecclesiasticus, quac iis calcar sit, quo stimulante altius penetrant in nexum Euangeli et mentem; novam sibi comparent, ex instauratis ac continuatis de ditissima Christi gratia cogitatis ortam, materiem, qua uti possint ut Christi in annunciatione grata formae varictas cum constante conjugatur argumenti unitate.

Tertia autem spei, quam ex accuratiore anni Ecclesiastici observatione fovemus, caussa haec est, quod *arctiori inservire possit vitae civilis atque ecclesiasticae conjunctioni.*

Ecclesiasticam quidem vitam et civilem duas esse res a se invicem disjunctas, tam notum est, quam triste negotium. Ea de caussa *ecclesiastica* tantum res est Religio, nec simul *domestica*; Dominicae diei tantum est negotium, de quo plerique caeteris non cogitant hebdomadis diebus. Ita religio, ut bre-

vibus sententiam comprehendamus, merum ad formalismum est depravata, qui omni caret vita, nudum ad opus operatum, quod interiore destitutum est efficacitate. Arctissime vero conjunctam esse ecclesiasticam vitam ac civilem voluit Christus, Dei Filius atque hominis. Religionem, ex coelo oriundam, has in terras transferre ac vitam *communem religiosam* reddere voluit. Externam solummodo noluit hanc esse conjunctionem, sed veram et interiorem. Publicum cultum nullius habuit pretii, nisi quatenus internae hominis cum Deo communionis nativa forma esset ac vera effigies. Quamquam igitur majoribus festis Hierosolymam, aliis temporibus Judæorum Synagogas adiret, sanctus tamen Ejus animus a languidis istis caerimoniis atque a civium simulata plerumque pietate abhorruit. Constanter igitur eos monuit Deo multo preciosiores esse animos Sese adorantes, quam longinquas preces externas. Qua vitae ecclesiasticæ et civilis conjunctione commendanda non sane id, quod acquiri non possit, sibi voluit Dominus, cuius ipsius in verbis atque actionibus luculentè haec appareret conjunctio. Sua Ecclesia hominum in vitam se penetrare, suis Sacramentis ab incunabulis inde ad sepulcrum usque suos se comitari filios, jactat Roma. Pulchra per se et blanda est illa laus, a Roma sibi ipsi vindicata; cui vero multa detrahit, apud Pontificiae imprimis Ecclesiae cives, regnans formalismus. Quamquam annum Ecclesiasticum, hacce in Ecclesia severe observatum, ad excelsiorem vitae religiosæ ordinationem quodammodo valcre, infitiari nequimus. Haec vestigia, quoad anni Ecclesiastici observationem, in Germania sequi videamus Lutheranos. Simul autem animadvertere licet, quomodo ibi a Pericope, tractata die Dominica, omnes totius hebdomadis dies repeatant nomen, idque apud cruditos non tantum, sed apud rusticos etiam ac pueros. Qua ratione igitur Ecclesia negotiis vitae communis annexitur ac copulatur. Quod si quis formale tantum aliquid et instrumentale hoc nuncupet, illum nos rogatum velimus, num probabile sit, ubi Dominicæ Textus tam frequenter usurpetur nomen, illius ubique negligi argumentum? Perpaucis de Dominicis, quae apud nostrates ab Ecclesiae festis

nomina repetant, ut dicamus, permultos esse novimus bonos homines, qui simul cum nomine Dominicæ Paschatis vel alius aliquujus festi auditio, laetum quoque, quod hisce diebus celebratur, factum pia memoria recolant.

Ejusmodi igitur, vel eadem potius apud nos bona quoque proverberet ac crearet Dei regni ejusque historiae cum vita communis catenatio, eadem arctissima ecclesiasticae vitae ac civilis conjunctione, dum modo magis Ecclesiasticum ad annum informaretur nostra praedicatio.

Anni tandem Ecclesiastici observationem ejusmodi esse dixi, ut *ad optabilem ducat societatum Christianarum ac magis amicam necessitudinem.*

Omnium membrorum unitas, unius corporis, cuius unum caput est Christus, quam maxime est optabilis conjunctione. Hanc igitur ut, quoad possumus, provehamus ac conservemus, nostrum omnium sanctissima est vocatio. Haece autem unitas quanam in re posita esse est aestimanda? Num in omnium consensu iisdem in dogmatibus? In eo autem nunquam cum obtinuisse testatur historia et Ecclesiae et dogmatum, idque a pristinis inde temporibus ad nostram usque memoriam. Ille consensus num unquam sit exstiturus quam maxime dubitamus. Hac enim de re in aeternum valebit illud: »quot capita, tot sensus.“ In animorum tantum cum eodem Christo Domino copulatione tali, qualis se historice manifestavit, quaerenda est illa unitas, si ejus attinendae vel minima nobis reliqua sit spei umbra. Quam petimus ac quaerimus unitatem, non in litera, quae interficit, sed in spiritu, qui vitam dat, ea invenietur. Sanctissimam illam cum Christo conjunctionem significamus internam, quae Christianorum pariter erga se invicem amorem verum ac sincerum. Spiritualis ejusmodi unitatis magnum est hodie omnium bonorum desiderium. Quamquam autem non nunc, sicut antea, hostilibus animis disjunctae et sibi invicem oppositae sunt Ecclesiae Protestantium diversae partes; tamen eadem in Ecclesia eo magis dolemus inter ejusdem confessionis socios mutnam disjunctionem. Quorum justo fortasse acriorem in Romam sensum improbantes, simul jure, ut

opinamur, summo rogamus, nonne misere Romae princeps, qui sibi Christi vicarii Petriique successoris nomen arrogat ac jura, Christi mente careat et animo apostolico sit privatus, quippe qui quotannis suum anathema in caeteros promulget Christianos! Caro, eheu! adhuc praevalet Spiritui; et non paucis de Pontificiis et Protestantibus, nostra etiam actate, testari posset Paulus, quod olim scripsit ad Corinthios (1 Cor. III: 4<sup>b</sup>—3): *eos adhuc esse pueros in Christo, secundum carnem eos atque hominem ambulare, quum inter eos invidia reperiatur et rixae et discordia.*

Anni igitur Ecclesiastici religiosa observatio utrum eam discordiam tollet, utrum eam pariet, quam desideramus, unitatem spiritualem? Est id quidem quod optamus, nostra sunt haec pia vota, quae vero exitu confirmatum iri exspectare vix audemus. Sed id tamen sperare licet, si quis omnium aliquando intraret templum et apud omnes cundem Christum, eodem anni Ecclesiastici ordine observato, annunciatum sibi audiret, fore ut ille his animadversis testaretur ac palam declararet Christianos, quamvis diu mutuis inter se invicem contentionibus dilaceratos, nunc tamen magna profiteri concordia, *»unam spem esse suac vocationis, unum Dominum, unam fidem, unum baptismum, unum Deum ac Patrem omnium, qui est supra omnes, et per omnes et in omnibus.«* (Eph. IV: 4—6).

## QUAESTIONES.

---

### I.

S. S. Pericoparum in Ecclesia Christiana usus Judaeorum ex synagogis est repetendus.

### II.

Errant qui Clericorum ex inscitia Pericoparum originem repetunt ecclesiasticarum.

### III.

Non uno temporis puncto, sed pedetentim potius, compositas esse statuo Pericopas.

### IV.

Earum, quas dixi, Pericoparum non *auctor* habendus est HIERONYMUS, sed *ordinator*.

## V.

Non assentiendum mihi videtur doctissimo FRED. STRAUSSIO, perfectam laudanti anni ecclesiastici ac naturalis convenientiam.

## VI.

Non casu tamen neque sine consilio, sed anni naturalis et ecclesiastici in primis ratione habita, lectae sunt et ordinatae Pericopae.

## VII.

Laudanda LUTHERI prudentia, quod Pericopas, etsi multa in iis vicia reprehenderet, sua tamen in Ecclesia non abolendas censuit.

## VIII.

Textuum Sacrae Scripturae constitutorum usus ejus non impedit cognitionem, sed e contra ad eam apud populum provehendam vim habet.

## IX.

Recte monuit F. V. REINHARDIUS ad acendum Oratoris sacer ingenium magis accommodatum esse textum constitutum, quam liberum.

## X.

Improbans mihi videtur Cl. HARMSIUS, S. S. textus orationibus ecclesiasticis non requiri contendens.

## XI.

Plane RANCKIO assentimur, qui in textibus eligendis utriusque Foederis rationem esse habendam statuit.

## XII.

Ea tautum S. S. Pericoparum series plane absoluta dici potest, in qua componenda et accurate observatus sit annus ecclesiasticus, et inter ejusdem Dominicae textus nexus exstet.

## XIII.

Textuum usus constitutorum arctiori inservit vitae ecclesiasticae et civilis conjunctioni atque unitati in Ecclesia provchendae.

## XIV.

Recte STEENMEIJERUS, Vir pl. venerandus: (*Brieven over de Wel-sprekendheid*). „Het zou weinig gezonde oordeelkunde aanduiden, „wanneer men Christus en Zijnc Heilgezanten, in den bepaalden zin, „als modellen voor den Kerkelijken Redenaar wilde aanprijzen.”

## XV.

Sacrarum orationum nostrarum summum debet esse consilium auditorum aedificatio eorumque fidei incrementum.

## XVI.

De sacro in primis Oratore *Quinctilianus* dictum valet (*Inst. Oratt. lib. 9: Cap. 3. sect. 102*). „Cura verborum derogat affectibus fidem, „et ubique ars ostentatur veritas abesse videtur.”

---

190830

A 1852497

## CORRIGENDA.

- |                     |  |       |  |
|---------------------|--|-------|--|
| Pag. 28, versu 14 : | Tit. II: 11—24                               | lege: | Tit. II: 11—14.  |
| » 30, » 22 :        | 1 Petr. VI: 7—11                             | —     | 1 Petr. IV: 7—11.  |
| » 38, » 29 :        | ita ut trium essent Domini<br>nicarum textus | —     | ita ut trium cyclorum quasi<br>complementum essent Domini<br>nicarum textus. |
| » 46, » 14 :        | Phil. II: 6—11                               | —     | Phil. II: 5—11.  |
| » 47, » 19 :        | Joh. XVI: 16—23                              | —     | Joh. XVI: 16—23.   |
|                     | Joh. XVI: 23—30                              | —     | Joh. XVI: 5—15.<br>Joh. XVI: 23—30.  |
| » 51, » 19 :        | Luc. XIV: 1—9                                | —     | Luc. XIV: 1—11.  |
| » 54, » 2 :         | De Pericoparum pretio                        | —     | De Pericoparum Novi Testa-<br>menti pretio.                                  |
| » 61, » 8 :         | sollten                                      | —     | selten.  |
| » 73, » 20 :        | conductan                                    | —     | conducant.   |

Cacterum, singularum Partium in capite, ubi *Novi Test. Pericopae* memorantur, ecclesiasticas eas intelligendas esse, ex generali apparent Dissertacionis inscriptione.